Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Andreas Gerhard

Discursus Legalis, De Iusta Mortuorum Sententia in proprium sanguinem, ad cap. 3. Novell. 115.

[Jena]: Sengenwaldius, 1659

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747847053

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747847053/phys_0001
DFG

K. K— 2 (40.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747847053/phys_0002
DFG

tt

DISCURSUS LEGALIS, DE JUSTA MORTUORUM SENTENTIA

in proprium sanguinem,

ad cap. 3. Novell. 115.

AUCTORE
JOHANNE ANDREA Gerhard/
J. U. Ddo.

Typis GEORGII SENGENWALDI.
ANNO clɔ Iɔc LIX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747847053/phys_0003
DFG

SERENISSIMIS.
AC.
CELSISSIMIS.
PRINCIPIBUS. AC. DOMINIS.

DOMINO.
GUIELHELMO.

AC.
DOMINO.
ERNESTO.

DUCIBUS. SAXONIÆ. JULIÆ. CLIVIÆ. AC. MONTIUM.

LANDGRAVIIS. THURINGIÆ.
MARCHIONIBUS. MISNIÆ.
COMITIBUS. IN. MARCA. ET. RAVENSBERG.
DYNASTIS. IN. RAVENSTEIN. &c.

DOMINIS. CLEMENTISSIMIS.

FELIX. TRANQUILLUMQUE.
IMPERIUM.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747847053/phys_0004
DFG

SERENISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPES.

INgentes quidem ac magnos dicere videmur Principes, qui destituti majorũ gloriâ, suæ uni virtuti debent, quicquid fastigii adepti sunt, nec aliunde sumserunt lucem, sed sibimetipsis circumfuderũt primi, quâ pariter se ac posteritatẽ suam illustrant. Vos verò, CELSISSIMI DUCES, verè magnos, imò summos rectè dicimus, qui & propriâ & avitâ fulgetis gloriâ. Serenissimam enim Vestram Familiam, quæ inter omnes illustrissimas caput extollit, à WITTIKINDO, magnô Saxonum Rege, qui cum *Karolô Magnô* acerrima gessit bella, indubitatâ propagine ortã esse, venerandus Historicorum Senatus dudum probavit constanti asseveratione. Prodierunt ex serenissimâ Vestrâ Domô maxima Europæ sydera, Imperatores, Reges, Electores plurimi. Vos ipsos, DOMINI, Germania nostra restauratores experta est felicissimos, manu strenuos, consiliô promtos, utrôque incomparabiles. Ignoscite, SERENISSIMI PRINCIPES, quòd in amplissimum Famæ Vestræ campum excurrere audeam, quæ Vestra egregia

gia

gia facinora dudum per orbem diffudit, iisque tot historiarum mundo subministravit materiam. Ignoscite, quòd augustissimorum Nominum VESTRORUM fulgore levissimas has irradiare chartas conatus fuerim. Audaciam hanc addidit mihi ipsa immensa VESTRA clementia, quâ complecti omnes eos semper consueviſtis, qui in studiis operæ aliquid posuerunt, ut publicè quondam utiles sint. Accipite, DOMINI, partum hunc devotissimi Civis Vestri, vultu serenissimô, h. e. TANTIS PRINCIPIBUS dignissimô. Heroum enim vel propria virtus Comitas est. Quorum catalogo cùm Vos, ILLUSTRISSIMI, vel maximè inserendi veniatis, nihil aliud deprædicatus ille *VV. Sereniſs. Celſitud.* erga subditos amor & decantata benignitas mihi promittit, nisi tranquillam Clementiæ umbram. Quam si exoptatis auspiciis à *VV. Sereniſſ. Celſitud.* fuero consecutus, omnis me felicitatis factum esse compotem gloriabor.

Ter-Optimus Deus Vos, CELSISSIMI DUCES, Vestrasque Familias serenissimas, sospitet & conservet in longissima ætatum tempora. *Vestra salus, nostra salus.* Deus vos servet!

Sereniß. VV. Celſit.

subjectißimus servus

JOH. ANDR. Gerhard.

§. I.

1. Justinianus, & armis decoratus, & legibus armatus,
2. Novellarum Auctor.
3. Novellæ unde ita dictæ?
4. Novellæ non omnes correctoriæ.
5. Authenticæ dictæ. Unde?
6. Authenticæ Irnerii.
7. Nov. 115. argumentum confusum & non cohærens.
8. Novellæ nullô ordine collectæ.

DIvus † Imperator *Justinianus*, pace scien- 1.
tiæ, bellô gloriæ cupidus, utrôque tempore laborioſus æquè, tantam ex literis promeruit laudem, quantam ex armis acquisivit gloriam. Non jam enarrare licet res Ejus vel pacis vel belli tempore gestas, quæ Historicis tot historiarum subministrârunt materiam, & æternam apud posteros dudum invenerunt famam. Infinitam laudem unô poterimus absolvere verbô, si nominabimus saltim sacrarum Legum & Sanctionum ab Ipsô tùm collectarum tùm promulgatarum opus absolutissimum. Inter sacratissima autem omnium priscorum Imperatorum Rescripta, quæ Imper. noster maximâ collegit curâ, uti *Decisiones Ipsius* refulgent *quinquaginta*, veterum controversias componentes : † Ita & *Novellæ Ejus Constitutiones*, quas 2.
Imperii sui ultimis ferè temporibus condidit & suæ transmisit posteritati, omni juri antiquo præripiunt palmam. † Quæ non in- 3.
de tamen dicuntur *Novellæ*, νεαραὶ διαλάξεις, quod nihil nisi *nova* & alia à veteribus *jura* contineant, ut Cedrenus & alii putant, sed quòd *jus* complectantur *novissimum*, vel quod *novissimè* post Codicem Justiniani renovatum sint promulgatæ, & tempore posteriores sint (*l. ult. ff. de constit. Princip.* μεταγενέστεραι διαλάξεις) sive quid novi juris constituant, sive etiam priora jura tantùm confirment. Quamvis enim Novellæ *maximâ ex parte* ad prioris juris emendationem sint compositæ, *Magnif. Dn. Præses, Præceptor atq; Promotor meus maximus, in prælect. publ. ad Authent. in præfat. Donell. lib. 1. Comment. J. C. cap. XI. in med. Add. Nov. 7. præfat. in pr.* non paucę

tamen juri antiquo adsistunt ; quod & *Cujacius* dudum admo-
4. nuit, *princ. Comment. ad Novel.* † Nec etiam veteres Leges per Novellas corrigi intelliguntur, nisi exprimatur in præfatione ab Imper. præmissa, aut necessariò ex verbis Novæ Constitutionis eliciatur ll. veterum correctio, quod demonstrat *Fachineus lib. 6. con-*
5. *trov. cap. 74.* † Dixerunt istas Dd. etiam Authenticas, authoratas si mavis latinè, quasi jus certum & indubitatum, non ambiguum continentes, ab Imperatoriô splendore authoritatem habentes, ab αὐθεντεῖν i. e. *pro authoritate imperare*, prout hôc verbô etiam utitur S. Paulus 1. *Tim. 2. vers. 12.* ubi vetat mulierem viro αὐθεντεῖν, i. e. sec. vers. vulg. *authoritatem usurpare* ; aut quasi originales, *l. 3. C. de diversis. rescript. Add. l. fin. ff. quemadm. testam aperiant. l. 8. pr. ff. famil. erciscund. l. 4. §. ult. eôd. l. 2. ff. de fide instrum.* quoniam ex ipsô *Græcô originali* pleræque ad literam traductæ sint. *Pleræq;* dico, cùm quædam, paucæ tamen, originaliter Latinô consent stylô, teste Steph. *proœm. in Const. Nov. n. 28.*
6. † Hoc autem *authenticarum* nomen communiter hodiè tribuunt Dd. istis Novellarum summulis, quas *Irnerius* JCtus excerpsit, atq; singulis legibus Codicis, quæ per Novell. istas emendantur, subjecit. *Magnif. Dn. Præses, in lect. publ. ad d. Authent. Irnerii in præfat.* Quæ Authenticarum epitome cùm sit manca plerunque ac mutila, nec optimâ semper fide composita, *Balduin. in proleg. Comment. ad Inst. Just.* nullam merebitur authoritatem, nisi quat. cum authenticis Novellis correspondeat, *Nobiliss. Dn. Struv. Patr. ac Præcept. meus venerandus in prælect. publ. ad tit. ff. de usuris.*

Nos ex authenticis istis Novellis cùm aliquid jàm agendum sit, unam interpretandam sumere animô seder, nimirùm CXV tam, nec tamen totam, sed ejus saltem partem, quæ de *justâ* agit *exheredatione liberorum.*
7. † Nullum enim certum argumentum unum aut plura cohærentia hæc Novella continet, sed ut pleræque aliæ, ut quidque inciderit, ita est composita, *Donell. lib. I. Comment. J. C. cap. XI. in m.* imô planè diversa complectitur capita, quæ nihil ferè inter se habent commune ; Agit enim *de appellationibus, de litigatoribus, de falcidiâ, de exheredatione, de iis qui lugent, & de constitutâ pecuniâ.*
8. † Quod ipsum potest esse argumento, Novellas Justinianii

stiniani Constitutiones dispersas, mortuô demum eô ab incertô aliquô authore esse collectas, sed confusè ac perturbatè, ac absque ullô ordine, prout observat *Cujac. lib. 20. observ. 33.*

§. II.

1. Origo Exheredationis.
2. Græcorum abdicatio & Romanorum exheredatio conveniunt & differunt.
3. Ratio & causa finalis exheredationis.
4. Exheredatio in genere quid?
5. An exheredatio auferat successionem feudi? Dist.
6. An exheredatio tollat jus suitatis?
7. Hottomannus sibiipsi in hâc cõtrovetsiâ contrarius producitur.
8. Ad cujus exemplum Forsterus quoque seipsum corrigit.
9. Probatur Hilligeri distinctio.
10. Resolvitur objectio.
11. Argumentum pro nostrâ sententiâ.
12. Respondetur Gomezio.
13. Cujacio. 14. Donello.
15. Divisio exheredationis à veteribus tradita.
16. Alia divisio exheredationis.
17. Ejus causa efficiens.
18. Exheredatio facta bonâ mente quæ dicatur?

JAm ad nostrum caput, quod agit *de Exheredatione liberorum*. Præfabimur quædam de ejus origine, & aliis prænoscendis, postea ordine textum explicaturi. † Originem autem exheredatio traxisse videtur à *Græcorum abdicatione*, quâ & ipsâ utebantur cives Romani quidam, ut Historiæ probant, & indicat *l. pen. C. de patr. pot.* Sed more Græcô, non jure suô, more peregrinô, non propriô. *Add. Grot. lib. 2. de J. B. & P. cap. 7. §. 7.* Romanis enim legibus non comprobata Græcorum abdicatio. *l. 6. C. d. t.* sed prohibita. *l. pen. C. d. t.* & ejus locô exheredatio concessa, quæ inde sæpè ἀποκήρυξις dicitur in Basilicis, teste *Alciatô 2. disp. 28.* quô nomine gaudet abdicatio *in d. l. 6. C. de P. P.* † utraque siquidem cum notâ & ignominiâ filii fiebat, *l. 18. C. de inoff. testam. l. 10. C. de testam. milit. l. 18. ff. de lib. & posth.* Multùm tamen inter se differunt: Abdicatio siquidem *vivô patre* effectum habebat, facta inter vivos; dimittebat enim pater filium vestibus spoliatum, & qui abdicatum recipiebant, læsæ Reipublicæ rei fiebant. *Cujac. ad l. 18. ff. de lib. & posth. Gothof. in not. ad d. l. 6. C. de P. P.* ubi etiam ex Luciano & Fabiô quasdam abdicandi causas refert. *Add. Sutholt.* 1. 2.

holt. Diff. 9. th. 43. Althuſ. Lib. 1. Dicæol. cap. 50. n. 16. Vigl. Zuvichem. ad pr. Inſt. de exher. lib. n. 2. Exheredatio autem *poſt mortem* demum *patris* per teſtamentum legitimum effectum ſortitur, *l. 14. C. de Teſtam. §. 2. Inſt. de Codicill.* † Introducta autem eſt exheredatio, tùm ut delicta in parentes commiſſa eâ vindicentur; tùm ut minus obſequentes liberi metu exheredationis in officiô cõtineantur, quod placet *Ariſt. lib. 8. Ethic. in fin. Quintil. declamat. 259.* fulmen, inquit, iſtud patrium datum eſt adverſus ferociam adoleſcentiæ. Hodiè præter exheredationem alia quoque remedia ad coërcendam liberorum petulantiam parentes parata habent, ergaſteria puto publica, Belg. De Raſpel-huyſer of Tucht-huyſer, Spin-huyſer, quibus tales immorigeri includuntur, ut tanquam in piſtrinô perpetuis laboribus emolliantur, & ad bonam tandem frugem revertantur. Cujusmodi ſunt *Amſtelrodami*, *Hamburgi*, & aliis plurimis in locis famigeratioribus. Quem ipſum finem etiam innuit inſcriptio portæ des Tucht-huys t' Amſterdam: Virtutis eſt domare, quæ cuncti pavẽt. Iſta enim ergaſteria non alium in finem inſtituta ſunt, quàm *ut liberi metu eorum in officiô contineantur*, quem ipſum etiam exheredationis eſſe finem jàm ſuprà diximus. Sed ais: Nihil eſt, cur filius exheredationem metuat, cùm ipſe jàm etiam patre vivente ſit bonorum paternorum quodammodo dominus, *l. 11. ff. de liber. & poſth. §. ſuia. 2. Inſtit. de hered. qualit. & diff.* unde etiam dicitur ſuus heres, quaſi ſuiipſius heres, *Figul. Lex. jur. voce ſuus. Schnobel. Diſp. 10. ad ff. th. 16.* Et Græci quoque αὐτοκράτορα eum dicunt. *Vinn. ad §. 2. Inſt. de her. qual. & diff. Lindeman. ad eund. §.* Reſp. quod pater filium iſtô dominiô privare poſſit, id facit vis patriæ poteſtatis, *arg. l. 132. in fin. pr. ff. de V. O.* Nam quem occidere poteſt pater, *l. fin. C. de patr. pot.* quidni eundem & exheredare? prout ipſe reſpondet Paulus *d. l. 11. in fin. ff. de lib. & poſt* Regeris: Jus patriæ poteſtatis eſt effectus juris civilis. Ratio autem naturalis quaſi lex quædam tacita parentum hereditatem liberis addicit, *l. 7. pr. ff. de bon. damn.* quæ ratio naturalis juris civilis authoritate perimi & extingui non poteſt, *l. 2. §. 1. ff. de uſufr. ear. rer. §. 11. Inſt. de J. N. G. & C.* Reſp (1.) ad maj. Patria

poteſtas

potestas *determinatè* ad Rempubl. Rom. considerata & secundum formam *accidentalem* s. superadditam est *juris civilis*; *absolutè* verò & ratione *formæ essentialis* est *juris naturalis*. Dd. comm. (2.) Resp. ad min. Limitãdo eam, ratio nim. naturalis liberis parentum bona defert, *nisi se illis indignos reddant*; si enim ingratos in parentes suos se exhibent, eadem ratio naturalis suadet, istos bonis paternis privari; *Magnif. Dn. Ungebaur ad cap. 16. X. de Testam. in præmiss. Arum. Exercit. 10. ad Inst. th. 19. in fin.* Ista enim regula naturæ, *quæ liberos jubet esse heredes*, vincitur per aliam fortiorem: *honorare quæ jubet parentes. Sutholt. diss. 9. th. 42.* Patet † fermè 4.
ex dictis, quid in genere sit liberorum *exheredatio*? Potest nim. brevissimè describi, cum *Simone de Pratis Lib. 3. de Interp. Ultim. Volunt. Int. 1. Dub. 6. fol. 1. n. 2.* quòd sit *exclusio liberorum ab hereditate lege datâ ab ascendentibus facta*. Nam de solis suis heredibus *propriè* dicitur, de aliis *per abusionem*, de extraneis *ineptè*, *l. 132. pr. inf. ff. de V. O.* Aliis enim heredibus hereditas defertur tantùm, suis etiam ab ipsâ lege datur, §. 2. *Inst. de hered. qualit.* † Di- 5.
ximus, quòd exheredatio sit exclusio *ab hereditate*. An etiam *à bonis feudalibus*? *Neg.* cùm nulla planè defuncti ordinatio in feudis manere vel valere possit, *c. sequitur. 1. in fin. de succes. feud. 1. Feud. 8. Vid. Ludwell syn. jur. feud. cap. 10. p. 264.* qui ibi ad contraria respondet. Excipe tamen *feudum* (uti vocant) *hereditarium*, quô filius exheredatus omninò privatur, *Ludw. d. l.* quia illud *pro re hereditariâ* habetur, & pater de eô testari & pro arbitriô suô disponere, & cuicunque extraneo illud relinquere potest, si modò illud *ei & heredibus ejus quibuscunq;* concessum sit. *Ludw. d. syn. cap. 4. pag. 91.* Quæ omnia cessant in feudô avitô seu familiari, quod vocant *ex pactô & providentiâ*, in quô jure sanguinis succeditur, *Zas. Tract. de Feudis part. 8. n. 17. Add. Ludwell. d. l.* quod exheredatio non tollit, *l. 1. §. pen. ff. de suis & legit. l. ult. ff. unde legit.*
† Sed alia quæstio est: *An exheredatio tollat jus suitatis?* quæ 6.
quæstio cùm sit una ex spinosissimis in jure nostrô controversiis, adeò ut † *Hottomannus*, Gallorum JCtus insignis, mox affirmati- 7.
vam *lib. VI Obs. 5.* mox tamen seipsum corrigens *lib. IX. Obs. 10.* negativam sententiam amplexus fuerit; non possumus non paulò latiùs & diligentius eam tractare. † Val. Guil. Forsterus *lib. 1 tract.* 8.

Justin. disp. 4. th. 4. hanc quæstionem affirmans, mox ad Hottomanni exemplum, itidem seipsum corrigit & fortiter negat *lib. 2. tract. dict. disp. 13. th. 30.* † Nos distinguimus cum Hilligerô *in Donell. Enucl. lib. 7. cap. 2. lit. C.* ut si adita cum effectu sit hereditas ab herede scriptô, ita ut nulla spes superstit, quâ res ad causam intestati redire possit, extinctum sit jus suitatis, & de hôc casu intelligimus *l. 1. §. pen. ff. de suis & legit. l. 9. §. 2. ff. de lib. & posth. ibi: filii jus abscissum. l. 1. §. 5. ff. de conjung. cum emanc. lib. & alias.* Si verò nondum adita sit hereditas (aut adita, *nondum tamen cum effectu*) jus suitatis maneat in suspensô. Et innuunt hanc distinctionem multi etiam Dd. veteres. Dicit *Anton. de Rosellis in Tract. de succeff. ab intest. n. 237. in fin.* exheredatũ aditâ hereditate perdere jus suitatis; Et *Angelus Perusinus in Tract. de Suitate n. 9.* ait: exheredationem aditione confirmatam tollere jus suitatis. Certum igitur est, quòd ante aditionem non sit sublata suitas, si enim testamentum deseratur scriptô herede hereditatem non adeunte, exheredatio filio non nocet, *l. 12. §. 5. ff. de bon. libert.* & filius suus heres deprehenditur, *l. 20. pr. ff. de bon. poss. contr. tabb.* Si exheredatio ipsô jure est nulla, utpote non ritè facta, exheredatus ipsô jure manet suus heres. Quòd si sit ritè facta, causa tamen adscripta non possit ab herede probari, & filius exheredatus in querelâ obtineat, filius non obstante illâ exheredatione suus heres erit.

9.

10. *l. 8. §. 16. ff. de inoff. test. Add. Angel. Perus. d. l. n. 2.* † Ais: Quærelam inofficiosi non nisi post aditam à scriptô herede hereditatem filius exheredatus movere potest, *l. 36. §. 2. C. de inoff. test. l. 8. §. 10. ff. eôd.* ibi: *ante aditam hereditatem non nascitur querela*, jung. *l. 181. ff. de R. J.* Hæres igitur filius adhuc potest existere, si scil. in querela obtineat, licet à Scriptô herede adita sit hereditas, *l. 8. §. 16. ff. de inoff. test.* E. nec post aditam hereditatem jus suitatis extinguetur: Semel enim extinctum si esset, reviviscere non posset. Resp. Loquitur Hilliger de aditione hereditatis cum effectu, ubi scil. querela jamtum fuit mota & amissa, aut omissa, ita ut nulla spes superstit, quâ res ad causam intestati redire possit; tunc jus suitatis extinctum dicit. Quamdiu autem querela inofficiosi potest moveri, hereditas non est cum effectu adita, & jus suitatis manet

manet in suspensô. Quod satis † etiam probat *l. 73. §. 1 ff. de* 11.
R. J. ubi dicitur, *quòd nemo possit tutorem dare cuiquam, nisi ei, quem in suis heredibus*, **cùm moritur**, *habuit habiturusve esset, si vixisset.* Jam verò pater exheredato filio tutorem dare potest, *l. 4. pr. ff. de testam. tut. l.* 10. *§. 2. l.* 31. *eód.* E. Arum. *Exerc. 2. ad Inst. th. 25.* Add. *Baccov. Vol. II. ad Treutl. disp. 12. th. 2. lit. B. vers. sed de illo.* Opponit † Gomez *Tom. I Var. resol. cap. XI. n.* 19. *l. 1. §. 8. ff. de suis* 12.
& legit. l. 7. pr. ff. unde liber. §. 7. Inst. de hered. qv. ab int. in quibus txx. dicitur, quòd quando *scriptô herede deliberante* filius exheredatus mortem obierit, nepos ex illô filiô exheredatô avo suus heres fiat. Ejus suitatis (*etiam ante aditam à scriptô herede hereditatem*) in filiô exheredatô fuit extinctum, quia aliàs non posset esse penes nepotem, cùm solùm occupet primum locum & gradum. Resp. Loqvuntur isti txx. de casu, *quando scriptus heres omittit seu repudiat hereditatem*, tunc decedente filiô exheredatô nepos ex illô admittitur ad hereditatem ab intestato, & est legitimus avi heres, *l. 9. §. 2. vers. sed & si ff. de liber. & posth. l. 6. pr. vers. plane ff. de injust. rupt.* Ratio, quia exheredatio hereditate à scriptô herede omissâ nullas potuit habere vires, & nullius fuit momenti, *l. 20. §. sed cum. ff. de bonor. possess. contra tabb.* Imò scriptô herede hereditatem repudiante, testamentum annullatur & destituitur, & pater dicitur decessisse intestatus. Destitutô igitur testamentô nulla intelligitur facta exheredatio adeoque filiô exheredatô mortuô (dum scil. per *mortem*, non per *exheredationem*, desiit esse suus) nepos ex eô occupat locum ejus & gradû, & avo succedit ab intestatô, tanquam proximus gradu, quem nullus amplius antecedit. *Add. l. 9. §. 2. vers. sed & si. ff. de lib. & posth.* † Dissentiens Cujacius *ad* 13.
Nov. I. part. prior. in fin. movetur *l. 1. §. pen. ff. de suis & legit.* quam Hilliger d. l. intelligendam monet de casu, ubi hereditas *cum effectu* sit à scriptô herede *adita*, & sententia contra filium lata. Eô enim casu concedimus, exheredatum non esse amplius suum, licet maneat consangvineus, *d. l. 1. §. pen. ff. de suis & legit.* Add. *l. ult. ff. unde legit.* Gomez. *Tom. I. Var. Resolut. cap. XI. n.* 19. † Donellus, 14.
qui etiam dissentit, *l. 7. Comm. J. C. cap. 2. in pr.* unicam rationem opponit: *Ut suus heres quis sit*, inquit, *necesse est, prius ut sit heres. Exheredatus autem non est heres.* E. Resp. Nulla est consequentia

majo-

majoris, nam & liberi vivô patre dicuntur sui heredes, *l. 11. ff. de lib. & posth.* quia habent spem successionis, licet non habeant ipsam actualem successionem & non sint actu heredes. Ita etiam exheredati ante aditam â scriptô herede cum effectu hereditatē possunt dici sui heredes, quia tamdiu habent spem succedendi, quamdiu hereditas adita non sit, & quamdiu querelam inofficiosi movere possunt; *Add. l. 20. pr. ff. de bonor. poss. contr. tabb. l. 8. §. 16. ff. de inoff. testam.* querelam autem instituere non possunt, nisi ex vi & potestate quâdam suitatis. *Baccov. Vol. 2. disp. 12. th. 2. litt. B.* Et tantùm de hâc difficillimâ & magis subtili quàm utili controversiâ. † Accedimus ad Exheredationis divisiones. Simon de Prætis *Lib. 3 de Interp. Ultim. Volunt. Interpr. 1. Dub. 6. fol. 1. n. 2.* triplicē facit Exheredationem: Unam *strictam & propriam*, quando expressè & solenniter fit exclusio ab hereditate, secundam verba & voluntatem testatoris, & hæc propriè dicitur *solennis* exheredatio. Aliam *impropriam & largam*, quando fit exclusio ab hereditate non expressè, secundum verba, sed tacitè, secundum voluntatem, & sub istâ comprehenditur *præteritio* facta à testatore sciente se filium sic præteritum habere. Sic præteritio materna & præteritio paterna emancipati sunt pro exheredatione, aut possunt dici exheredationes hôc secundô modô acceptæ. Aliam & ultimam *impropriissimam & largissimam*, quando exclusio ab hereditate neque expressè neque tacitè fit, & ista est præteritio facta à testatore ignorante se habere filium. Et hanc divisionem tradunt alii multi, *Bl. Br. Paulus de Castro, Jason, Angelus Aretinus &c.* Dividendum 15.
16. autem ulteriùs † illud defuncti judicium in **malignum** s. **iniquum***, quô parentes, cùm suprema sua ordinant, *l. 39. ff. de pign. act.* novercalibus delinimentis instigationibusve corrupti, *l. 4. ff. de inoff. test.* aut leviss imis aut indignis aut planè nullis ex causis liberis bona hereditaria adimunt; Et **justum**, quô ex causis justis, ipsâ lege permittente, liberi ingrati bonis privantur paternis. Prius querelâ inofficiosi testamenti impugnatur. Posterius ab eâ tutum. De priori aliô die. De posteriori hodiè erit nobis labor.
17. † Patet ex jàm dictis, quòd juris nostri causa efficiens sit vel *dispositiva*, ipsa nim. lex civilis, quæ id permittit parentibus; vel *executiva*, voluntas scil. parentum testantium, quæ instar legis etiam est,

est, per *Nov. 22. cap. 2. in princ.* † Ulterius exheredatio à ll. 18.
& Dd dividitur in eam, quæ fit **notæ causâ**, & eam, quæ fit **bonâ mente**, sicut divortium aliquando fieri dicitur **bonâ gratiâ**, *Nov. 22 cap. 4. & Nov. 98. cap. 2. §. 2.* De priori exheredatione agimus hîc, & ejus mentio fit in *l. 18. C. de inoffic. test. l. 10. C. de testam. milit. & aliis tx.* Posterior quæ sit, patet ex *l. 12. §. 2. ff. de bon. libert.* quando scil. parentes non notæ causâ exheredant liberos, nec ut eis obsint, sed ut eis consulant. *l. 18. ff. de lib. & post. her.* v. g. prodigis, *l. pen. §. 2. ff. de curat. furios.* furiosis, *d. l. 12. §. 2. ff. de bon. libert.* impuberibus, *d. l. 18. de lib. & post. her. inst.* Utra ex his in dubiô præsumatur, tractat *Menoch. lib. 4. præsumt. 28.* Exemplũ exheredationis *bonâ mente & consilio bonô* factæ, refert *Sichard. ad auth. non licet. C. de liber. præter. n. 26 Add. Magnif. Dn. Frantzk. b. m. in Comment. ad ff. de inoff. test. n. 65. 66.* Moribus nostris recepta est alia quædam exheredationis species, quæ vocatur *usq; ad legitimam*, quæ tamen impropriè prorsus & abusivè dicitur exheredatio, cùm exheredatio propriè dicta excludat ab omnibus bonis defuncti propriis. *Add. Ritterh. ad Novell. part. 6. cap. 3. n. 43.*

§. III.

1. Summa verborum Cæsaris.
2. Inter liberos naturales nulla hodiè quoad modum exheredationis differentia.
3. Differentia inter mares & fœminas sublata quare?
4. Inter suos & emancipatos an differentia hodiè?
5. A Rittershusiô discedit ur.
6. De emancipatis hodiernis quid statuendum.
7. De adoptivis.
8. De naturalibus.
9. De legitimatis.

Verba Imperat.

SAncimus, non licere penitus patri vel matri aut avo vel aviæ, proavo vel proaviæ suum filium vel filiam, vel cæteros liberos præterire, aut exheredes in suô facere testamentô.

Agit † Imperator hîc de personis instituentibus aut exheredantibus, & de personis ritè instituendis aut justè exheredandis. Ait: suum filium vel filiam vel cæteros liberos. 1.

2. † Liberi igitur naturales, hoc est, qui ex justô procreati sunt matrimoniô, omnes hodiè in formâ ac modô exheredationis pares sunt, ejusdemque juris & conditionis, sive sint mares sive fœminæ; sive primi gradus ut filii, sive ulterioris, ut nepotes; sive nati sive posthumi; sive in potestate sive emancipati, §. 5. *Inst. de exher. liber.* omnes, inquam, eôdem modô (gradu tamen observatô) instituendi, aut nominatim & causâ exheredationis
3. expressâ exheredandi sunt. † Differentia inter mares & fœminas quoad successionem in bona parentum allodialia (non item quoad successionem feudi, in quâ adhuc illa differentia seriò observatur, *cap. 1. de succeff. feud. 1. Feud. §.*) dudum Imperatori displicebat, *§. 5. Inst. de exher. liber. & l. pen. C. de legit. hered.* Causa erat una *favor* scil. *sexûs fœminei.* Considerabat nimirùm Cæsar, quòd natura utrumque corpus ediderit, ut maneat suis vicibus immortale, & alterum alterius auxiliô egeat, *d. l. pen.* & utraque persona in hominum procreatione simili naturæ officiô fungatur, *d. §. 5. Add. Perez ad tit. C. de lib. præter. n. 3.* cùm nec etiam LL. XII. Tabb. in successione ab intestatô inter mares & fœminas distinxerint, *d. l. pen. C. de leg. hered.* in quâ constitutione graviter insurgit Imperator in differentiarum istarum Auctores: *quare*, inquit, *naturam offendimus, & legitimo juri derogamus?* Non tamen jus antiquum videtur adeô iniquum, cùm aliàs & ipse Naturæ Auctor iniquitatis accusandus sit, qui filiô superstite filiam excludit â patris successione, *Num. 27. vers. 8.* Et sanè in multis juris articulis conditio fœminarum deterior adhuc est, quàm masculorum, *l. 9. ff. de stat. homin.* Inter natos & posthumos aliqualem differentiam adhuc hodiè agnoscendam esse, explicabimus infrà.
4. † Imô & inter suos & emancipatos aliquam differentiam tradit Ritterhus. *ad §. 5. Inst. de exhered. liberor.* quod scil. illis præteritis, testamentum ipsô jure sit nullum; his autem (*emancipatis*) præteritis, testamentum quidem valeat, sed *per bonorum possessionem contra tabulas* rescindatur. † Sed hoc vix admittendum erit. Quin po-
5. tiùs cum Dd. distinguimus, utrum præteritio facta sit cum justæ & legitimæ causæ expressione, an simpliciter nullâ expressâ causâ. Si emancipatus præteritus *cum causæ expressione*, testamentum valet, adeô ut ne quidem per bonorum possessionem contra tabb. re-

scindi

scindi possit. *Lud. Molina Tom. I. de Just. & jur. Tr. 2. disp. 175. n. 37.* Si *nullâ adjectâ causâ* præteritus, testamêtum ipsô jure est nullum; ita ut non opus sit rescissione per Prætoriam bonorum possessionem contra tabb. *Angelus de Gambellionibus, in Tract. de Testament. Gloss. 71. n. 4. Simon. de Pratis Lib. 3. de interpr. Ultim. Volunt. Interpr. 1. Dub. 6. fol. 2. n. 4. Lud. Molina d. disp. 175. n. 35.* Aut *insertâ causâ* est præteritus, sed *ab herede non probatâ, aut indignâ,* & nec tunc hodiè ipsi opus est Prætoriâ bonorum possessione, sed competit illi querela inofficiosi. *Lud. Molina d. l. n 37. Nobiliss. Dn.* Struve *Exerc. X th. 16.* Cùm enim jure veteri emancipatos præterire licebat, id hodiè quoad ipsam præteritionem non est correctum, sed solùm additum, ut causa præteritionis legitima testamento inseratur, h. n. c. verb. *& ipsas nominatim ingratitudinis causas suo inseruerint testamento.* Quâ formâ, quæ tàm præteritioni quàm exheredationi præscripta, (de utrâque enim Imper. loquitur, verb. *præterire aut exheredes facere*) non observatâ testamentum ipsô jure est nullum. *Nobiliss. Dn.* Struve / *Præceptor meus sanctissimè devenerandus, Exercit. 32. th. 26. Lindeman. Disp. 3. Exerc. Just. tit. 13. th 13.* Similiter etiam matri avoque materno hodiè etiam liberos *præterire* licet adhuc, sed *non nisi certâ & justâ præteritionis causâ adjectâ.* Et est ratio: quia sicut in præteritione emancipati, qui desiit esse in potestate patriâ, requiritur insertio causæ legitimæ: eôdem modô etiam requiritur in præteritione matris aut maternâ, quæ etiam non habet liberos in potestate. Quam rationem assignat *Angelus de Gambellionibus d. tract. de Testam. gloss. 71. n. 4. Add. Lindem. d. disp. th. 14. Sichard. ad l. 3. n. 6. C. de inoff. test. Magnif. Dn. Hahn. ad Wesenbec. ff. de lib. & posth. n. 5. vers. idemq; &c.* Objicis (1) quòd in nost. Nov. præteritio prohibeatur, & requiratur expressè exheredatio. Resp. prohibetur *conjunctim* & præteritio & exheredatio vers. *non licere præterire, aut exheredes facere;* quib. verbis in genere subjicitur versic. *nisi* &c. adeoque expressio causæ non solùm ad exheredationem, sed & ad præteritionem spectat. Objicis (2) Quòd *præteritio adjectâ suâ causâ* non fit præteritio, sed potiùs exheredatio, cùm non opus sit præcisè verbô *exheredo.* Resp. Exheredatio est exclusio ab hereditate expressis verbis facta, quæ non adest in præteritione, cùm

nuda aliqua filialis ingratitudinis causa exprimitur, & alius heres
6. instituitur. † Quod attinet eos, qui hodiè *jure Saxonicô* & per universam ferè Europam receptâ consuetudine *pro emancipatis* habentur, nimirùm filii, quibus pater res suas seorsim habere, & negotiationes proprias instituere permisit, item qui quoad habitationem & mensam à patre segregati & uxorati propriam alunt familiam, *Moller. lib. 2. semestr. cap. 16. n. 4. Magnif. Dn.* Richter / *in Interpret. l. XI. & XII. C. qui testam. fac. poss.* Illi licet à patriâ potestate eximantur, *per Constit. Elect. Saxon. part. 2. art.* 10. ibi: Daß die Kinder / so ihre mündige Jahr erreichet / dadurch aus der väterlichen Gewalt kommen seyn / wenn sie von ihnen geschieden. item: Da sich Kinder / so zu ihren mündigen Jahren kommen / von dem Vater mit Anstellung ihrer eignen Haußhaltung und Nahrung scheiden / daß alsdenn solches vor eine emancipation zu achten / und derselben Wirckung haben soll. Inter illos tamen & suos *quoad successionem* nulla prorsus est differentia, ac proinde etiam instituendi (cùm jus successionis ipsis nunquam fuerit ademtum) aut le-
7. gitimè exheredandi erunt. Quod † *adoptivos* attinet, illa saltem differentia notanda, quæ est in *l. pen. C. de adopt.* quòd nimirùm si adoptio ad *extraneam personam* facta sit, cùm jura patris naturalis minimè dissolvantur, sed ita permaneant, quasi filius non fuisset in alienam familiam translatus, instituendi aut exheredandi sint tales liberi adoptivi non à patre adoptivo, sed à patre naturali. Quod si verò *avo vel proavo materno vel paterno* filius datus sit in adoptionem, in hôc casu, *quia in unam personam concurrunt & naturalia & adoptionis jura*, filius adoptivus à tali patre adoptivo, *donec in potestate ejus est*, necessariò aut instituendus aut justè exheredandus erit, & ita intelligendus est §. *4. Inst. de Exher. liber.* §. 2.
8. *Inst. de hered. quæ ab intest. l. 5. C. de suis & legit.* † Liberi *naturales tantùm s. ex concubina nati*, an in semisse hereditatis, (quam Imper. in *Nov. 89. cap. 12.* non existentibus aliis legitimis simul, neque etiam uxore legitimâ, concedit illis) à patre instituendi sint, aut si ab hac parte quoque eos removere pater voluerit, exheredatione opus habeat? meritò dubitamus cum Dd. comm. cùm magis Imper. ibi hoc *voluntati patris* permittat, quàm præcisè ad id eum adigat, verb. *per patrum magnificentiam*, &: *relinqui aut donari*

nari concedimus. Item: *testatori licentia sit*, item: *habeant relinquendi licentiam.* Et in *Nov. 18. cap. 5.* ubi idem permittit in verb. *Concedentes hoc agere* &c. A matre tamen, & adscendentibus per matrem tùm liberi naturales tùm spurii sunt instituendi aut ritè exheredandi, prout probat *Nobiliss. Dn.* Struve / *Exerc. X. th. 16.* † *Legitimati* autem, cùm nihil ferè à legitimis differant, *Nov. 74. 9. cap. 2. pr. Nov. 89. cap. 3.* ibi *nihil dissimiles legitimis*; itaque heredes instituendi aut exheredandi erunt. Intelligendum tamen hoc velim tantùm de legitimatis per subsequens matrimonium & per Rescriptum Principis, non quæ fiebat olim per oblationem curiæ, quia illa legitimatio hodiè non est in usu, teste *Magnif. Dn. Ungebauero, Præceptore meô sanctè observandô, in Lect. publ. ad cap. Raynutius 16. de Testam. & ult. volunt.* De *posthumis* agemus in seqv. §.

§. IV.

1. Posthumi veri qui?
2. Cujaciana conjectura in dubium vocatur.
3. Posthumi Velleani.
4. Posthumi Velleani efficaciter exheredari possunt.
5. Non veri posthumi.
6. Ratio.
7. Posthumô præteritô testamentum ab initiô subsistit.
8. Idq; propter speciales rationes.
9. Posthumô perfectè natô testamentum rumpitur.
10. Jure veteri in totum: Jure novô tantùm quoad institutionem.
11. Licet illicò mortuus sit, nec vocem emiserit.
12. Juris Saxonici irrationabilis dispositio.
13. Specialis casus proponitur.
14. Explicatur ex l. 3. C. de posthum. hered. quid Romanis: *in terram cadere?*
15. Dubitandi rationes proponuntur.
16. Conciliatur l. 12. pr. ff. de injust. rupt. cum l. 3. C. de posth. her. inst.
17. Glossa rejicitur.

POsthumi † *propriè, verè & naturaliter* dicuntur in jure, 1. qui *post humatum patrem* nascuntur, *l. 3. §. 1. de injust. rupt.* Amm. Marcell. *uxorem prægnantem reliquit, unde edita posthuma. V. Marc. de Mantua singul. 76.* Unde plerique eam vocem aspiratam scripserunt. † Cujacius tamen sine aspiratione 2. eam scribi enixè suadet *lib. 3. observ. c. 4.* eò quod in Pandectis Pisanis & multis antiquis Scriptoribus ea vox semper ita scripta reperiatur, adeoq; posthumos non qs. post humatum patrem natos,

sed quasi *postremos seu posteriores* dici autumat *d. l.* Eam tamen Cujacii opinionem, utpote non nisi in conjecturâ positam, vix arbitramur esse vulgari meliorem, quæ siquidem ex *d. l.* 3. §. 1. maximè confirmari videtur. Nec est, ut producat pro se Cujacius Doctorum classicorum scriptionem. Nec enim ignotum est, frequens fuisse antiquis, in his etiam vocibus, quæ naturâ suâ aspiratæ, aspirationem omittere, prout testatur & probat *Quintil. lib. 1. Inst. Orat. cap. 9.* Parcissimè siquidem aspiratione veteres utebantur, sic *œdos ircosq;* dicebant, *triumpum*, *Graccum* &c. Posthumus itaque, (licet aspirationem veteres quidam detraxerint) adhuc rectè dicetur, qs. *post humatum patrem* natus *d. l. 3. §. 1. Add. l. 164. pr. ff. de V. S. Propriè* intellige *& naturaliter.* † Civiliter enim i. e. quoad effectus civiles instar verorum posthumorum habentur, qui *vivô testatore post testamentũ* ei vel naturaliter nascuntur, *l. 12. ff. de injust. rupt.* vel fiunt filii, sive per adoptionem & adrogationem, sive per legitimationem. Et hi conditum testamentum per suam adgnationem vel quasi adgnationem rumpunt, *l. 15. ff. de injust. rupt. l. 12. pr. l. 8. pr. ff. eôd. §. 1. Inst. quib. mod. testam. infirm. l. 28. §. 1. ff. de Lib. & posth. Add. Nobiliss. Dn.* Struve *Exerc. 32. th. 37.* Et debent à testatore (si adhuc in vivis) in aliô posteriore testamentô aut instituí aut exheredari. Quoad adoptivos tamen distinguitur, ut *in* §. *præced.* traditum. Posthumorum locô etiam habentur *nepotes*, qui vivô avô nati post mortem patris sui in locum ejus succedunt & quasi agnascuntur, §. 2. *Inst. de exhered. liber. l. 13. ff. de injust. rupt.* Les enfans representent leurs peres, & doivent aussi succeder en leurs droicts & preeminences, suivant toutes raisons, divines & humaines, h. e. Liberi representant parentes suos, & debent succedere in eorum jus & locum, secundum rationes divinas & humanas. *Jaques Charron en l' histoire universelle chap. 12. p. 14.* † Hi igitur *quasi posthumi*, vel *Velleani posthumi*, cùm jura suorum heredum, in locum patris sui prædefuncti succedendo, in familiâ avi adepti sunt, ab avô instituendi aut exheredandi erunt, *d. l.* 13. *ff. de injust. rupt.* Et quidem de his nullum est dubium, quin nominatim & cum elogiô i. e. causâ expressè adjectâ exheredari possint, quia in vitâ testatoris nati sunt, & causæ exheredationis in illos cadere possunt. † Verùm *proprè dicti posthumi*, licet nominatim exheredari possint, v. g. si ita testator dixerit: *is qui*

mihi

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747847053/phys_0020
DFG

mihi ex Sejâ nascetur, exheres esto, vel ita: Venter exheres esto, vel ita: *posthumus exheres esto*; posthumus nominatim exheredatus dicitur, *l. 3. §. pen. ff. de injust. rupt.* hæ enim formulæ nomini æquipollent; non tamē efficaciter aut legitimè secundum jus novissimum erunt exheredati. † Hodiè enim secundum Nov. nostr. 6. requiritur, ut *causa justa & legitima* adjiciatur, jam autem nulla causa ingratitudinis in nondum natos cadere potest, *arg. l. 33. §. 1. C. de inoff. testam. Add. l. 22. C de pœn. Coras. ad l. ult. C. de posth. hered. inst. n. 17. Schard. ad auth. non licet. C. de liber. prater. n. 1. Roland. Tract. de Testam. Rub. 14. n. 2. & Rubr. 16. n. 11. Rittersh. Borcholt. ad §. 1. Inst. de Exher. liber.* † Nec etiam quoad hoc, *ut testamentum ab initiô subsistat*, posthumi necessariò sunt instituendi aut exheredandi, sed possunt *præteriri* (*certô consiliô* intellige, non *oblivione*) & alius hæres scribi, §. 1. *Inst. de exher. liber.* & in hôc 7. differt posthumus à filiô jam natô; filiôs. enim præteritô testamētum statim ab initiô nullum est, *pr. Inst. de exher. lib.* at posthumô præteritô aut non ritè exheredatô testamentum *in initiô* subsistit, quippe iniquum esset, nondum natum ruptionem ab ipsô statim principiô inducere. *Coras. ad l. ult. C. de posth. hered. inst. n. 16.* † Et sunt præterea *speciales rationes*, cur in initiô ante nativitatem 8. posthumi testamentum tale subsistat, id etenim inductum I. Propter metum abortûs, ne si fortè per abortum posthumus non nasceretur, testator moriatur intestatus, & nullum relinquat heredem; ideò licitum ei est, certum sibi instituere heredem, hôc effectu, ut si mulier, ex quâ posthumus vel posthuma sperabatur, abortum fecerit, nihil impedimentô sit scriptis heredibus ad hereditatem adeundam, *l. 2. C. de posth. hered. §. 1. Inst. de exher. liber.* Atque hactenus ergò nec pro nato habetur posthumus; frustraque *objicitur*, eum qui in utero est, quoties de commodô ejus agitur, pro eô, qui in rebus humanis sit, haberi, *l. pen. l. 7. ff. de stat. hom.* Nam regula illa sic temperanda est: *si modò postea nascatur*. Nec etiam hîc incommodum sentit, cùm statim ac perfectè editus est, testamentum rumpat, & ipsô jure faciat nullum, nec opus habeat querelâ inofficiosi. *Rolandinus Tract. de Testam. Rubr. 14. n. 7.* II. propter metum monstri, *l. 3. in fin. de posth. hered. inst.* quia non sunt liberi, qui contra formam humani generis

pere-

peregrinâ assumtâ specie procreantur, *l.* 14. *ff. de stat. homin.* Partum tamen, in quô aliquid præter naturam supereſt vel deeſt, inter liberos numerandum esse non negamus propter *l.* 10. §. 2. *ff. de adil. edict. Nobiliſſ. Dn. Struv. Exerc. 3. th. 4.* Sic non obstat *l.* 135. *ff. de Verb. Sign.* III. quia fœtus potest in utero aut in agone mori, qui si mortuus ejiciatur, scripti heredes succedunt, quia qui mortuus editꝰ est, neq; natus neq; procreatꝰ videtur, cùm nunquam filius appellari potuerit, *l.* 129. *ff. de Verb. Signif.* imò vix homo, *l.* 9. §. 1. *ad L. Falcid.* Testamentum igitur ob hunc dubium eventum rectè esse conditum & ab initio subsistere, Imperatori placuit, *dd. tx.* Neque hoc per nostram Nov. mutatum, *Vinn. ad d.* §. 1. *Inst. de exhered. liber.* quod enim jure novo expresse correctũ non est, stare non prohibetur, *arg. l.* 27. *C. de testam.* Objicis §. 5. *Inst. de exher. lib.* Resp. est in ipsô tx. oppos. verb. *circa testamenta suorum infirmanda* &c. nimirùm posthumi sunt necessariò instituendi, *ne agnascendo testamentum rumpant vel infirment.* † Si enim partus
9. *vivus perfectè* nascitur, atque ad orbem *cum spiritu totus* procedit,
10. agnascendo rumpit testamentum & *in totum* infirmat † (intellige *juxta jus antiquius*, §. 1. *Inst. de exher. lib.* jure enim novissimô secundum Nov. n. cap. 3. in fin. tantùm *quoad institutionem heredis* infirmatur, cætera testam. capita valent, *Carpz. part. 3. const. 9. defin. 4.* de quâ controv. agemus *infrà* §. 21.) † licet illicò moriatur, *l.* 3. *C. de posth. hered. inst. l.* 12. §. 1. *ff. de lib. & posth.* nec vocem emiserit, *d. l. 3. C. de her. instit.* † A quâ Juris Civilis constitutione paulò recessit jus Saxonicum, & cum illo quorundam locorum (ut vicinæ civitatis Ordamundæ) statuta, quibus constitutum, ut posthumus rupisse dicatur testamentum, *si vocem ediderit*, Germ. Wenn er die vier Winckel beschrien. Ita enim Lehnrecht *art. 20. pr.* Wenn der Sohn nach des Vaters Tode lebet so lang/ daß man seine Stimme gehören mag in den vier Wenden des Hauses/ so ist er beerbet mit seines Vaters Lehen/ und hat es entführet allen denen/ die Dinge (Vide art. 5. d. Lehnrecht) daran hetten. Hæc tamen juris Saxonici dispositio sine ratione esse videtur. Nec enim vox est causa, quod posthumus rumpat testamentum, sed vita & nativitas posthumi. Adeoque in Scabinatu Lipsiensi &
aliis

aliis locis ita non obſervatur, ſed indiſtinctè ad ſucceſſionem admittitur is, quem vivum & integrum natum fuiſſe conſtat, *etiamſi vocem nullam ediderit.* Refert Lud. Molina *Tom. 1 de Juſt. & Jur. tract. 2. diſp. 175. n. 30.* quòd de jure regni Caſtellæ neceſſe ſit, *ut poſthumus ab egreſſu ex uterò vivat viginti quatuor horarum ſpatio & baptizetur.* Quæ conſuetudo itidem irrationabilis videtur, per ſupra tradita. † Sed quid ſi partus in ipsô parturientis agone 13
vivus appareat, intra oſſa tamen pubis, antequam perfectè ejiciatur, moriatur? Non rumpet hic poſthumus teſtamẽtum; expreſsè enim in *d. l. 3.* requiritur, *ut perfectè natus ſit, ut in terram ceciderit.* Et ſecundum hanc legem etiam nuper reſponſum eſt tali in caſu à Scab. Jenenſ. referente *Nobiliſſ. Dn. Schröterô. in lect. priv.* † Quid ſit 14
id, quod ait Imper. in d. l. 3. *poſtquam in terram cecidit;* è re erit, paucis ſi explicemus. Alluſit nimirùm ſine dubiô ad morem illum priſcis ſeculis uſitatum, quô puer, ſimul ac ſublatus erat ab obſtetrice, ſtatuebatur in terram, ut auſpicaretur rectus eſſe, teſte *Varrone lib. XI. de vitâ P. R.* quæ pueri in terram conſtitutio Statinæ Deæ utpote pueritiæ præſidi ſacra erat, quemadmodum ex illô Tertulliani *lib. de animâ* colligitur: *Prima conſtitutio infantis ſuper terram ſtatim Ædeæ* ſacra eſt. Nam pro *ſtatim Ædeæ* legendum eſſe *Statinæ Deæ*, Cujac. rectè obſervat *lib. XI. obſerv. 30.* Ita autem conſtitutum vel humi depoſitum infantem pater ſolebat tollere, & in ſinum recipere. *Stat. lib. 1. ſylv.*

—— tellure cadentem
Accepi, foviq; ſinu.

Et lib. 5.

Meus, ille meus: tellure cadentem
Excepi, & vinctum geniali carmine fovi.

Add. Salmuth. Not. ad Panciroll. lib. 2. Rer. mem. tit. 10. Non paulò aliter veteres Germani pueros *ſanguinolentos* (uti in *l. 2. C. de patr. qui filios ſuos diſtr.* vocantur) aut adhuc *à matre rubentes* (*Juven. ſatyr. 7. verſ. 17.*) Rheno immergebant: ſed hôc fine, ut matris pudicitiam ita explorârent; ſi enim Rhenus partus in tremulas genetricis manus ſubveheret illæſos, tanquam intemeratæ pudicitiæ teſtis; adulterinos verò vel ſpurios ſi abſorberet, velut juſtus adulterii vindex prædicabatur. *Reverend. Dn. Dilherrus, Prof. quondam hîc famigeratiſſ. tract. de mor. veter. German.* Sed redeun-

dum in viam. Diximus suprâ, quòd posthumus perfectè natus testamentum rumpat, *licet illicò moriatur*, adeò ut statim, quò testamentum sit ruptum, amittat heres extraneus in testamentô institutus omne jus, quod aliàs ex testamentô haberet, *d. l. 3. C. de posth.*
15. *hered.* † Ratio tamē dubitandi potest esse, quòd causâ sublatâ, propter quam testamentum rumpitur, scil. vitâ posthumi, meritò debeat testamentum reconvalescere. Et hoc expressè videtur probare Ulpianus *l. 12. pr. ff. de injust. rupt.* ubi ait, *quòd licet juris scrupulositate, nimiâq; subtilitate testamentum per posthumum, qui illicò decessit, ruptum videatur, attamen æquitate Prætoriâ, datâ scripto heredi bonorum possessione secundum tabulas reconvalescat.* Resp. testamētum semel ruptum non potest reconvalescere, & statim, quando testamentum nativitate posthumi est ruptum, amisit heres ille extraneus in testamentô omne jus, quod aliàs ex testamentô habe-
16. ret. † Ad leg. autem oppositam *12. ff. de injust. rupt.* Resp. quòd loquatur de posthumô præteritô, natô & mortuô *vivô testatore*, (qui etiam dicitur *posthumus*, sed *impropriè*) ubi ex æquitate Prætoriâ favore testantis testamentum rursus quasi incipit valere. Sed nos hîc loquimur de *verô posthumô, natô post mortem patris*, cujus nativitate sic rumpitur testamentum, ut licet paulò pôst moriatur, tamen testamentum non reconvalescat. Ratio differentiæ est, quia, cùm nascitur posthumus *vivô testatore*, & moritur etiam *eô vivente*, pater tunc habet potestatem testamentum mutandi, quia adhuc vivit, sed quia non mutat & moritur filius, certè præsumitur durare in eâdem voluntate, in quâ fuit ante natum posthumum i.e. quasi de novô sit testatus, & velit scriptum heredem manere heredem, quod non procedit, quando posthumus nascitur *mortuô patre*, quia tunc testator non potest mutare sententiam, & ideò ruptum semel testamentum manet perpetuò ruptum. *V. Nobiliss. Dn. Schröter. Coll. priv. in C. ad d. l. 3. C. de posth. her. inst.*
17. † Sed & Glossa nobis obstare videtur, quæ ad §. *quin etiam* 1. *Feud. 6.* verb. *non admittuntur.* scribit: *quòd fœmina per masculum à feudô excludatur, nisi fortè masculus subitò post mortem patris mortuus sit; quasi non videatur extitisse, cùm non perseveraverit.* Et addit in margine: *Esse non videtur, quod parùm durat.* Resp. (1.) Textum ipsum feudalem nihil de hôc casu habere, nec Glossę standum textu ta-

tu tacente. (2.) Jura feudalia tanquam exorbitantia contra tx. juris Civilis expressum nihil facere.

§. V.

1. Legitimæ varia nomina.
2. Legitimæ quantitas antiqua & hodierna.
3. Exheredatus an faciat partem in computandâ legitimâ.
4. Legitima an hodiè solô institutionis titulô relinquenda?
5. Affirmativæ rationes duæ.
6. Responsiones affirmativæ ad contrariæ.
7. An Nov. 18. corrigat Nov. 115? N.
8. Legitima an etiam jure Canonicô titulô institutionis fit relinquenda? A.
9. Respondetur Negativæ.
10. Quid nominatim exheredare?
11. Quomodo olim cives Romanos nominari moris fuerit.
12. Causæ ingratitudinis nominatim exprimendæ.
13. Ratio.
14. Limitatio.

Verba Imper.

NEc si per quamlibet donationem, vel legatum, vel fideicommissum, vel alium quemcunque modum eis dederit legibus debitam portionem: nisi forsan probabuntur ingrati: & ipsas nominatim ingratitudinis causas parentes suo inseruerint testamento.

Legitima † varia in jure habet nomina, hîc legibus de- 1.
bita portio dicitur; legitima portio, *l. 30. pr. l. 31. C. de inoff. testam.* debitum, *Nov. 18. in præfat.* debitum bonorum subsidium, *l. 5. C. de inoff. donat.* debitum naturale, *l. 36. §. 2. C. de inoff. test.* pars jure naturæ debita, *c. 16. de Testam. cap. 1. de Testam. in 6. Nov. 1. præfat. §. 2.* (scil. quoad ipsam substantiam, seu *materialiter* legitima est juris naturalis *d. l. 36.* respectu verò quantitatis sive *formaliter* rectè etiam dicitur juris civilis, *h. n. cap. d. l. 36. §. 1. in fin. C. de inoff. test.* ibi: *qualem leges & nostra Constitutio definivit. l. 6. pr. C. de secund. Nupt. Nov. 18. cap. 1. Nov. 1. præfat. §. 2. Dn. Frantzkius, cujus obitum totus jam luget orbis literatus, Comment. ad ff. tit. de inoff. test. n. 22. Nobiliss. Dn. Struve, Præceptor meus & promotor æternùm devenerandus, Exercit. X. th. 10.*) Sæ-

pissimè autem appellatur quarta, §. *ult. Inst. de inoff. test. l. 8. §.*
2. *9 ff. eôd.* & quarta debitæ portionis, *l. 8. §. 8. d. t.* † Olim enim liberis, quotcunque essent, bonorum quarta pars debebatur, *l. 31. l. 35. §. 2. C. de inoff. testam. l. 8. §. 8 ff. eôd. §. 3. & §. ult. Inst. eôd. Nov. 18. in præfat.* Sed novissimâ lege cautum est, ut si quatuor aut pauciores sint liberi, *tertia pars substantiæ*, h.e. unciæ quatuor illis relinquantur; si verò plures sint liberi quàm quatuor, *semis sive sex unciæ*, d. Nov. 18. cap. 1. Hâc tamen cum annotatione, ut omnibus conjunctim illa semis vel triens competat, quam deinde inter se pro ratâ, i.e. pro virilibus portionibus distribuant, §. *ult. Inst. de inoff. test.* interdum tamen non in capita, sed in stirpes legitima dividitur, quando nimirùm in stirpes succeditur. *Lud. Molina*
3. *Tom. 1. de Just. & Jur. disp. 177. n. 2.* † Quæstio hic exoritur alta & subtilis: *An filius exheredatus faciat partem in computandâ legitimâ*, vel *an in numerô liberorum sit habendus*? Et alia quæstio est, an in numerô liberorum sit habendus *ad augendam eorum legitimam*, ut si pater haberet 5. filios, & unum justè exheredâsset, adeò ut remaneant 4. filii, qui juxtà scriptum heredem extraneum sint in legitimâ instituti, Q. an legitima eorum sit *triens*, sicut de jure requiri jàm diximus, quando pater solùm habet quatuor filios; an verò fingantur quinque filii successibiles, adeoque legitima eorum sit *semis* seu dimidia pars hereditatis? Alia quæstio est, an exheredatus sit in numerô liberorum habendus *ad minuendam eorum legitimam*; si nimirum pater habens quatuor filios exheredaverit unum, reliquos verò in legitimâ instituerit, scriptô herede extraneô. Q. An filius iste exheredatus faciat partem, quam accipiat heres scriptus extraneus, ita ut reliqui tres filii non integrum trientem, sed tres solùm partes trientis sive tres uncias accipiant? Sed *neutrô casu*, h.e. neque ad augendam neque ad minuendam legitimam exheredatum facere partem, nec in numerô liberorum habendum esse, asserit & probat *Dn. Carpzov. part. 3. Jurisprud. for. Constit. 10. defin. 12. 13.* Add. *Berlich. part. 3. pract. Concl. 12. n. 9. Gomez Tom. 1. Variar. Resol. cap. XI. n. 23. Gail. lib. 2. Observ. 122. n. 18.*
4. quorum etiam sententia usu est recepta. † Præprimis autem nobis hîc inquirendum erit, *an hodiè legitima solô titulô institutionis liberis sit relinquenda*? Et communis Dd. & Gl. opinio est, non solùm

solùm leges *ff. & C. l. 8. §. 6. l. 25. ff. de inoff. test. l. 35. §. 2. C. eôd. §. 6. Inst. cód.* (ex quibus patet, olim legitimam potuisse quocunque titulô relinqui) verùm & ipsam *Nov. 18. c. 1.* in quâ idem asseritur, per *Nov. nostram* 115. esse correctam. *Coras. ad l. 24. C. fam. ercisc. n. 82.* & dicit Lud. Molina *d. l. disp. 175. n. 12.* quòd nullus sit, qui id negare possit. Ait enim Imper. expresè hîc: **nec si per quamlibet donationem, vel legatum vel fideicommissum, vel alium quemcunque modum eis dederint legibus debitam portionem.**

Rationem † autem, quòd Imperator titulô institutionis 5.
legitimam relinqui jusserit, communiter Dd. duplicem assignant. (1.) quòd titulus institutionis sit honorabilior, *l. 5. §. 6. ff. de leg. præst. contr. tabb. l. 26. ff. si quis omiss. (auf. test.* (2.) quòd hic titulus liberis sit etiam utilior, majus enim procul dubiô filius sentit commodum, vocatus ut hæres, quàm ut legatarius; repudiante quippe herede universali habet jus accrescendi, *l. un. §. 10. C. de caduc. toll. l. un. C. qv. non pet. part. petent. accr. Coras. d. l. Nobiliß. Dn. Struv. in Addit. ad Exerc. 10. Syntagm. jurispr. th. 30.* In contrarium disputant *Arum. Exerc. 10. ad Instit. th. 18. Vaud. lib. 1. quæst. jur. c. 5. & alii, pauci tamen,* quorum rationibus satisfaciendum: (1.) Opponunt contra primam Dd. rationem, quòd etiam *legati honore* quis affici dicatur, *l. 36. pr. ff. de excusat. tutor.* † Resp. 6.
Omnium tamen honorificentissimus est titulus hereditarius & institutionis. *Coras. ad d. l. 24. C. fam. hercisc. n. 82. vers. verùm quid sit.* (2.) Adversus Dd. alteram rationem objiciunt, quòd etiam inter legatarios jus accrescendi sit, *§. 8. Inst. de legat.* Resp. Licet hoc verum sit, tamen longè pinguius jus accrescendi habebit filius *ut coheres*, quàm *ut collegatarius*, cùm hic veniat titulô particulari, ille universali. Opp. (3.) *Auth. novissima C. de inoff. test. Nov. 18. c. 1.* Resp. Desumta est Authentica ista ex Nov. 18. quæ per nostr. Nov. 115. quoad hoc caput correcta est, secundum communem à Dd. receptam sententiam. *Magnif. Dn. Ungebauer, ad cap. Raynutius 16. de Testam. Magnif. Dn. Richter, Decis. 40. n. 5. Nobiliß. Dn. Struv. in addit. ad Exerc. 10. th. 30. Berlich. part. 3. Conclus. 15. n. 8. Carpz. part. 3. const. 9. defin. 1.* † Alii somniant, potius *d. Nov. 18. 7.* corrigere *Nov. 115. c. 3.* in quâ ridiculâ opinione est *Bernh. Walth.*

lib. 1. miscell. jur. cap. 9. nam textus, *inquit*, in Nov. 18. expressim correctionis mentionem facit: *Hæc nos moverunt corrigere legem.* Verùm non veremur dicere cum *Coras. ad d. l. 24. C. fam. ercisc.* hæc tota esse commentitia, vix digna lucubratione aniculârum. Nam ex subscriptione utriusque Novellæ expressè apparet, quòd Nov. 18. sit prior, & Nov. 115. posterior. Illa enim publicata est post Consulatum Belisarii annô Christi 536. hæc verò sub Consulatu Basilii Annô Christi 541. quod notat etiam *Gothofr. in marg.* Prius autem quomodo potest corrigere posterius? Sed contrà posterius si aliter disponit, corrigit prius, *add. l. fin. ff. de Constit. Princ.* Inepta etiam est probatio hujus opinionis, quòd Imper. in cap. 1. d. Nov. 18. scribat, *se corrigere legem.* Nam quam legem ibi corrigat, satis ostendit *in præfat. d. N.* 18. nimirùm illam, quæ solùm triuncium definivit liberis pro legitimâ portione ipsis relinquendâ. Opponunt Diss. (4.) *l. 13. C. de hered. instit.* ubi dicitur, quòd ex certâ re scripti vel qui certis rebus pro suâ institutione contenti esse jussi sunt, *legatariorum* locô habeantur. Legitima autem est res certa. E. Resp. Legitima non est res certa, sed pars hereditatis, tertia vel dimidia. Deinde excipit ipsa *d. l.* 13 eos, qui ad certarum unciarum institutionem referuntur, iisque omnes hereditarias actiones tribuit. Aliter Respondet *Vinn. ad § ult. Inst. de inoff. test.* Opp. (5.) *l. 6. C. de inoff. test.* ubi legitima dicitur *pars bonorum.* Resp. Jure veteri sufficiebat quocunque titulô legitimam relinqui: hinc non semper erat pars *hereditatis*, sed sæpius pars *bonorum.* Hodiè autem aliter se res habet, ut probatum. Opp. (ult.) gravem rationẽ, quòd Pater testamentum faciens inter liberos non teneatur servare superstitiosum rigorem juris, *l. 21. in fin. C. de testam.* nec adeò necessaria sit verborum observantia, *l. 15. C. eôd.* Resp. (1.) Nos non præcisè hîc agimus de testamentô solùm inter liberos conditô, de quô *d. l. 21. C. de testam.* sed si liberis alia persona extranea sit mixta, ut loquitur *eadem l. 21. in fin.* si nimirùm testator habens liberos velit extraneum heredem scribere, illud non poterit facere legitimâ liberis titulô legati, aut aliô particulari relictâ, sed debet liberos prius instituere in legitimâ, eosque nomine heredum honorare, & posteà extraneo cæteras res aut legati aut fideicommissi aut donationis titulô relinquere, aut etiam

etiam eum coheredem facere poterit. (2.) Resp. quando autem pater testatur solùm inter liberos, distingv. cum Covarruv. *ad cap. Raynutius X. de Testam.* §. 1. *n. 3.* aut testatur pater inter liberos *æqualiter*, & procedit *obj. l. 21.* nec enim tunc tenetur pater rigorosas solennitates juris observare, aut unumquemque institutionis titulô honorare; aut *inæqualiter*, & tunc non potest pater plures habens filios unum eorum heredem instituere, alteri legati nomine aliquid relinquere, sed debet eum vel simul cum fratre instituere (*licet inæqualiter*) vel ritè exheredare, aliàs non subsistit testamentum. In *favorem* tamen *liberorum* legitimam aliô titulô, quàm institutionis relinqui posse, tradit *Carpzov. part. 3. const. 9. defin.* 11. ubi id Exemplis & rationibus, ac notabili Responsô Scabin. Lipsiens. in causâ Hansen und Georgen der Fischer zu Lengefeld confirmat. † An etiam jure Pontificiô legitima titulô institutionis sit relinquenda liberis? adhuc inquirere lubet. Et affirmativa recepta est à Dd. communiter, teste *Magnif. Dn. Ungeb. ad cap.* 16. *de Testam. in præmiss.* qui & ipse eorum sententiam auctorat & approbat. (1.) quia Papa non præsumitur voluisse filiis auferre honorifica commoda atque emolumenta, quæ per institutionem consequuntur, ne inde nascantur injuriæ, unde jura nasci debent, *l. 6. C. unde vi. Coras. ad d. l. 24. C. fam. ercisc. n. 82.* (2.) Nec temerè differentiam inter Leges civiles & Pontificias inducere debemus citra expressum I. Can. textum *arg. cap. 1. & 2. de Nov. oper. nunt.* cujusmodi textum hîc desideramus. Imô pro nostrâ sententiâ non obscurè videtur facere *cap. 1. de Testam. in 6. & c. 12. qui fil. sint leg.* Negativam autem defendit *Hostiensis ad cap.* 16. *de Testam. vers. cum autem.* (1.) quòd jus Canonicum nô curet circa ultimas voluntates de hâc vel simili pernitiosâ subtilitate, sed tantùm de veritate, *arg. cap.* 10. *& cap. seq. de Testam. & cap. 6. de judic.* † Resp. In txx. illis nihil tractatur de quæstione præsenti, 9
cap. 10. *& seq. de Testam.* agit de numerô testium, qui requiratur in testamentis; *cap. 6. de jud.* de nomine actionis, quòd ejus expressio in libellô non sit necessaria. Adeoque à diversis malè fit illatio, quam non admittit suprà tradita Dd. regula, quòd inter jus Civile & Canonicum differentia non sit inducenda, nisi ea sit in ipsô jure Canon. expressa. (2.) *cap.* 16. *X. de Testam.* ubi Alterochæ

filiæ

filiæ à patre nihil fuit relictum in testamentô nomine institutionis. Resp. cum Glossa in verbô *relinquens*, Alterocham fuisse omninô heredem institutam. *Add. Covarruv. ad cap. Raynutius X. de Testam.* §. 1. *n.* 5. *&* 7. uti latè id probat. Liberi igitur aut sunt heredes instituendi aut *nominatim* exheredandi. Sicut enim heres instituendus nominatim designari debet, *l. 29. vers. quod si non fuerit. C. de Testam. l. 9. §. 8. ff. de hered. instit.* ita exheredandus nominatim etiam demonstrari debet, ut certa reddatur persona, *l.* 1. *l. 2. ff. de lib. & posth.* Contrariorum enim eadem est disciplina. E. sicut institutio, quæ favorabilis; ita & exheredatio, quæ odiosa, requirit expressionem nominis; *Simon de Pratis Lib. 3. de Interpr. Ultim. Volunt. Interpr.* 1. *Dub. 6. fol. 2. n.* 1. Fieri autem debet exhe-
10. redatio nominatim † tùm (1.) ratione personæ exheredandæ, *l. 4. C. de lib. præt. vers. sancimus*, §. 5. *Inst. de exher. liber.* cujus nomen, aut prænomen aut cognomen dicendum est, *l.* 1. *ff. de liber. & posth.* sufficit enim unum. Imô si testatori unicus tantùm sit filius, nomine filii etiam omissô exheredatus ille videtur, si testator dixerit: filius meus exheres esto, *l. 2. ff. eôd.* si verò plures testator habeat filios, & sic dicat: *filius meus exheres esto*, benignâ interpretatione nullus censetur exheredatus, cùm non constet, de quô senserit testator, *l. 3. ff. eôd. arg. l. 30. ff. de testam. tut.* Si tamen certum sit ex demonstratione testatoris, de quô senserit, sufficit eum quoquô modô designatum fuisse. *Vinn. ad* §. 29. *Inst. de Legat.* v. g. si ita dicat: *filius meus architectus exheres esto.* Add. *Joh. Meier. Coll. Argentor. lib. 28. tit. 2. th. 26.* Indubitabilis enim demonstratio penè nihil à nomine distat, *l. 9.* §. *8. ff. de hered. instit. l. 4. C. de Testam.* quemadmodum & in cæteris negotiis demonstratio vice nominis fungitur, *l. 34. de condit. & demonst.* §. 29. *ibi: idemq; in heredibus servatur. Inst. de Leg.* ubi & ratio redditur: *Nomina enim significandorum hominum gratiâ reperta sunt, qui si aliô quôlibet modô intelligantur, nihil interest, d.* §. 29. *Inst. de Legat.* Et
11. magna quidem omnibus seculis fuit in *nominibus hominum* & varietas & licentia apud omnes populos. † Servi tamen *apud Romanos* unicum tantùm habebant nomen, nec iis licitum erat usurpare cognomen, *l. 9. C. de liberal. caus.* & ferè vocantur à JCtis in speciebus proponendis communiter *Stichi, Erotes, Damæ, Pamphili.*

phili. Cives autem Romani & prænomina & cognomina & interdum etiam agnomina habebant. *Prænomina* non ad familiam totam, sed ad unam tantùm personam pertinebant; sic cùm uterq; frater diceretur *Tullius Cicero*, uni prænomen *Marcus*, alteri *Quintus* fuit. Cæterùm illa rarò integra scribebantur, sed aut unâ solùm literâ, e.g. *M. L. Q. P. A. C.* aut duabus, e.g. *Cn. Sp. Qu.* aut pluribus, e.g. *Sex. Publ. Aul. Luc.* Quòd si verò contingebat, in unâ familiâ commune pluribus esse prænomen, patris atque etiam avi interdum nomen subjiciebatur, ut: *Q. Mutius P. F. SC. nep.* Fœminis seu mulieribus valdè commune erat prænomen *Caja*, cui sæpiùs aliud adjungebatur, e.g. *Caja Cecilia, Caja Tarratia.* Unde Ciceronis (*in orat. pro Muren.*) jocus in JCtos, quòd in omnibus speciebus, ubi de muliere agitur, *Cajam* ponant. Nec tamen id sine omni fit ratione, optima enim materfamiliâs & lanifica Caja erat. *Plutarch. in Probl.* Hinc solennia olim in Nuptiis verba sponsa domum sponsi intrans proferebat: Ubi tu Cajus, ego Caja. Fœminæ autem paucioribus utplurimùm utebantur nominibus, quàm mares. quædam & Parentum cognomina habebant, ut: *Oreſtila, Druſilla, Meſſalina, Agrippina.* quædam & maritorum cognomina accipiebant, ut: *Cornelia Gracchi.* Erant autem *cognomina* speciáliores quædam familiarum notæ. Sic in Gente Corneliâ alii *Scipionum*, alii *Syllarum*, alii *Lentulorum* cognomen habebant. Ita rursus & inter ipsos *Scipiones* differentia constituta est, nam *Naſicæ & Africani* cognomen additum est. Et ista cognomina oriebantur sæpius ex *agnominibus inveteratis.* Quod enim in Majoribus agnomen fuit, id posteritati cognomen esse cœpit. *Agnomina* enim imponebantur à rebus gestis, aut à fortunâ, aut formâ aut virtute, unde *Fabiorum, Porciorum, Mutiorum, Africanorum* appellatio. Sed non licet nobis latiùs ista prosequi. Qui plura desiderat, potest adire Antiquitatum Romanarum Consultos, *Briſſonium, Roſinum* & alios. Nos in viam revertimur. Nomine igitur propriô filius est exheredandus, *pr. Inſt. de exher. lib.* hoc est, aut prænomen aut cognomen dicendum est, modò appareat, de quô senserit testator, *l. 1. ff. de liber. & poſth.* uti suprà jamtùm notavimus. † Debet præterea (2.) exheredatio fieri nominatim ratione causæ, quæ itidem debet nominatim exprimi. Ait enim Imperator: † De- 12.

D nisi

nisi ipsas ingratitudinis causas nominatim suo inseruerint testamento. At num etiam locus & tempus injuriæ illatæ exprimendum in testamentô? Non, sed sufficit, certam denominare speciem injuriæ, quæ illa fuerit & qualis, *vide l. 7. pr. ff. de injur. l. 16. ff. de dol. mal.* heredem tamen, cùm vult probare elogii veritatem, teneri locum & tempus demonstrare, ubi & quando fuerit ingratus filius, non negamus. *Sichard. ad auth. non licet. C. de lib. præter. n. 34.* cùm probationes debeant esse certiores. *Bl. cons. 112. n. 5. & consil. 89. n. 1. D. Andr. Gerh. Patruus desideratissimus, tract. de testam. disp. 5. th. 4.* † Ratio autem, cur liberi *sine causâ justâ* exheredari non debeant, videtur esse, quia cùm illis ratio naturalis tanquam lex quædam tacita addicat bona parentum, *l. 7. pr. ff. de bon. damnat. l. 11. ff. de lib. & posthum.* illa non poterunt in alterum transferri, nisi illis prius modô legitimô sint adempta. Nemini etenim debet id, quod suum est, sine causâ eripi & auferri, *l. 11. ff. de R. J.*

13.

14. †Limitatur tamẽ hoc in exheredatione, quæ dicitur **bonâ mente** fieri, quia hôc casu etiam nullâ adscriptâ ingratitudinis causâ, quippe quæ nulla adest, valet exheredatio, quia fit in favorem & utilitatem liberorum. *Hilliger in Donell. Enucl. Lib. 6. cap. 12. lit. n.* Et ita statuunt Dd. comm. quòd scil. jura antiqua (approbantia & confirmantia exheredationem in favorem filii) per nostram Nov. 115. non sint correcta & abrogata, quippe quæ loquitur solùm de exheredatione, quæ fit in notam & ignominiam liberorum, & *in hâc* requirit expressionem causæ injuriosæ; *non in illâ*, quæ exheredato proficua & utilis est. Debet autem constare apertè, nullam esse deceptionem filii, & nullum etiam alterius dolum. *Simon de Prætis Lib. 3. de Interpr. Ultim. Volunt. Interpr. 1. Dub. 6. fol. 2. n. 7.* Adde *Sichard. ad auth. non licet. C. de liber. præter. n. 16.* ubi simul ostendit aliam viam, quâ mater possit consulere filio, etiamsi illum non exheredet, & *num. seqq.* etiam addit alios casus, in quibus expressio causæ non requiratur. Debet insuper exheredatio fieri *purè*, non sub conditione, *l. 3. §. 1. ff. de lib. & posth. l. 68. ff. de hered. inst. Perez. ad tit. C. de liber. præter. n. 13.* Rationem tradit Ulp. in *l. 18. ff. de bon. poss. contr. tabb.* ibi: *certô enim judiciô liberi à parentum successione removendi sunt.* Certum autem esse non satis videtur judicium, quod suspenditur in futurum eventum. Non tamen

præcisè

præcisè necessaria est verborum observantia; quoniam indignum est, ob inanem observationem irritas fieri tabulas & judicia mortuorum, *l. 15. C. de Testament.* Non igitur in exheredatione strictè requiritur verbum *exheredo.* Sicut enim institutio heredis fieri potest verbis æquipollentibus e. g. *Titius hereditatis meæ dominus esto, l. 48. pr. ff. de hered. instit.* Add. *d. l. 15. C. de Testam.* Ita etiam exheredatio non est ita necessariò superstitiosis verbis concipienda; per suprà dictum Philosophorum SCtum: *contrariorum eadem est disciplina.* Sic si quis filium ita exheredaverit: *Iste filius meus alienus meæ substantiæ fiat;* talis filius ex hujusmodi verborum conceptione exheredatus intelligitur, *l. 3. C. de liber. præter.* Vel si quis dixerit: *Non instituo filium meum heredem, quia me verberavit,* idem est ac si dixerit: *exheredo eum.* Add. *Covarr. ad cap. Raynutius. X. de Testam. in princ. n. 2.*

§. VI.

1. Veterum R. in dimittendis uxoribus, & liberis exheredandis facilitas.
2. Causæ exheredationum olim incertæ.
3. Centumvirale judicium.
4. Ratio, cur Imper. causas has certo includerit numero.
5. Quæstio proponitur: An præter 14. Justin. etiam aliæ admittendæ?
6. Rationes Affirmativæ.
7. Respondetur Stephani argumentis.
8. Respondetur Arumæo, & Perezio.

Imper. Verba:

SEd quia causas, ex quibus ingrati debeant judicari liberi, in diversis legibus dispersas, & non apertè declaratas invenimus; quarum aliquæ nec dignæ nobis ad ingratitudinem visæ sunt: aliquæ verò cum essent dignæ, prætermissæ; ideò necessarium esse perspeximus, eas nominatim præsenti lege comprehendere: ut præter ipsas nulli liceat ex aliâ lege ingratitudinis causas opponere, nisi quæ in huius constitutionis serie continentur.

Veteres † Romani ut in dimittendis uxoribus, ita in exheredandis liberis apprimè erant faciles. Sulpitius Gallus uxorem 1.

dimittebat, quòd eam capite apertô foris versatam cognoverat, *Val. Max. lib. 6. cap. 3. n. 10.* Alius Romanus uxori repudium mittebat, quòd ea nares haberet pituitosas & minus siccas, de quô *Juven. Satyr. 6.* ibi: *Colligе Sarcinulas — —& exi: Jàm gravis es nobis, siccô venit altera nasô.* Æmilius Paulus nequidem rationem reddere voluit, quare uxorem probam, castam, pulcram domô ejecerit. *Plutarch. in Æmil.* Simili prorsus modô Antiqui Romani liberos suos aliquando nullâ prorsus adpositâ causâ exheredabant *Sichard. ad auth. non licet C. de lib. præter. n. 1.* aut si aliquâ adjectâ,
2. non satis tamen dignâ aut justâ, ut *Imper.* hîc tradit. † Justæ enim & sufficientes Exheredationum causæ olim nullâ certâ lege aut Constitutione erant determinatæ, sed decidendæ relictæ erant *Centumvirorum* arbitrio. *Cujac. ad Nov. 18. in med. Coras. ad l. 2. ff. de orig. jur.* In iis enim centumviralibus judiciis ut aliæ graves causæ, ita etiam testamentariæ & hereditariæ disceptari solebant controversiæ. Quod satis videtur probari posse ex *Valer. Max. lib. 7. cap. 7. n. 1.* ibi: *cum improbissimis heredibus de paternis bonis apud centumviros contendit* &c. Et testatur hoc etiam *Quintil. lib. 7. Inst. Orat. cap. 5. in med. si exheredatum*, inquiens, *à se filium pater testatus fecerit elogiô, propterea quòd is meretricem amaverit; omnis hîc erit quæstio: an huic delicto pater debuerit ignoscere, & Centumviri tribuere debeant veniam. Goth. in not. ad l. 17. ff. de inoff. test.* Centumviralis judicii & centumvirorum fit etiam mentio in *l. 13. ff. de inoff. test. l. 17. pr. eôd. l. 30. ff. de liberat. leg. l. 12. C. de petit. hered. l. 4. C. de liber. præter.* Malè in rubr. *l. 7. ff. de inoff. test.*
3. legitur *de Septemviralibus judiciis*, prout observat *Gothofr. ad h. l. 7. in marg.* † Centumvirale hoc judicium *Valer. Max. d. l. 7. cap. 8. n. 1. & n. 3.* vocat hastæ iudicium, ex eô videl. quia centumviri hastâ in terram defixâ congregabantur ad judicia peragenda, prout latiùs hoc tradit & exponit *Coras. ad l. 2. §. 20. ff. de Orig. jur. Tom. 1. Oper. f. m. 96.* ubi etiam addit, quod cùm temporis successu Centumvirorum numerus adeò excreverit, ut *centum & octoginta* quandoque sederint judices, in *duas hastas* centumvirale judicium tandem divisum sit, quibus positis conveniebant judicaturi. *V. loc. cit. Add. l. 2. § 29. ff. de Orig. jur.* Certæ igitur causæ ante Nov. nostram non erant, sed expendebantur in dictô judiciô merita liberorum exheredatorum, *arg. l. 19. C. de inoff. testam. l. 3. §. 5. ff. de bon.*

bon. poss. contra tabb. l. 7. pr. ff. de bon. damn. ibi: *meritò de causis*, ubi malè vulgò legitur *certa de causis*, prout observat *Cujac. ad Nov. 18. in m* cùm certum sit, tempore Pauli, cujus ea l. 7. est, nondum fuisse certas Exheredationum causas, sed arbitrarias, ut jàm probatum. Justiniano autem placuit facere certas, easque numero includere definito. † Rationem possumus desumere ex *Aristot. lib. 1. Rhetb. cap. 1. præstat enim, quantum omninò fieri potest, legibus omnia definire, quàm judicis arbitrio multum permittere.* Ait autem Imperator: necessarium esse perspeximus, eas nominatim præsenti lege comprehendere &c. iterùm: ut præter ipsas nulli liceat &c. item: causas autem justas has esse decernimus. † Quibus verbis plurimi Dd. in istum prolapsi sunt opinionis errorem, solas has 14. Justinianeas, non plures nec similes aut majores admittendas esse exheredationum causas. Quam sententiam defendunt *post Hostiensem, Alexandrum, Viglius ad §. ult. Inst. de exhered. liber. n. 8. Ludov. Molina de Just. & jur. Tom. 1. disp. 176. n. 50. & seqq. Perez. ad tit. C. de lib. præter. n. 18. Arum. Exerc. 10. ad Inst. th. 3. Steph. ad Nov. 115. n. 20. & alii Dd. plurimi.* Contrariam tamen sententiam (quam *Joan. Ant. Trigona singul. 46. n. 1.* mirabilem vocat, qui tamen ipse est in eâ) defendere non dubitamus cum *Baccov. vol. 2. ad Treutl. disp. 13. th. 8. lit. C. Frantzk in ff. de inoff. test. n. 78. Eberh. Speckhan Cent. 1. Quæst. Jur. q. 96. n. 6.* ubi plures & quidem benè multos Affirmativæ defensores nominat, quibus addi possunt *Cujac. ad Nov. 18. Sichard. ad auth. non licet C. de liber. præter. n. 7. & 8. Hippol. de Marsil. singul. 78. Gudel. lib. 2. de jur. nov. cap. 8. & Nobiliss. Dn. Struv. Præceptor meus magnus, in Coll. priv. ad Inst. tit. de Exhered. Liber.* † Rationes autem Affirmativa has dat: (1.) Quia Justiniani mens non potuit esse, eas excludere causas, quas natura legum non admittit excludi, *arg. l. 2. §. 18. de vet. jur. enucl.* Add. *l. 12. ff. de LL.* ibi: *ad similia procedere.* Sed propositum tantùm Imperatori fuit, licentiam exheredandi ex quâlibet causâ, quæ *jure veteri* obtinebat, determinare, atq; *regulam* instituere, secundũ quam exheredatio, an justa vel injusta sit, examinetur. *V. Sich. ad d. auth. non licet. n. 8.* Aliàs absurdum sequeretur, & daretur materia liberis parentes offendẽdi impunè, cùm multò plures alias ingratitudines & impietates

4.

5.

6.

adversus parentes committere sine metu exheredationis possint, cùm in nostrâ hâc Nov. non sint expressè nominatæ. Atque ita dispositio legis, quæ ingratitudines liberorum vindicare vult, redderetur elusoria & inanis. (II.) Similes & majores causæ continentur tanquam species sub generibus, vel tanquam sub regulis finitis & generalibus exempla & casus in vitâ humanâ singulariter occurrentes, v.g. in Nov. nostræ c. 1. §. 1. habetur hæc causa: *si quis parentibus suis manus intulerit.* §. 3. *si criminaliter accusaverit eos,* §. 8. *si insidias vitæ struxerit.* Si jàm inferre manus *jusserit*, licet ipse non intulerit; accusationem si consiliis *juverit aut instigaverit*; item si insidias *non detexerit* parentibus; si patrem non quidem furore, *sed peste correptum* ejecerit; *si in via vulneribus confectum destituerit*; quis diceret, Justinianum has causas excludere voluisse? *V. Magnif. Frantzk. b. m. Comm. in ff. de inoff. test. n. 78.* Et temerarius fuisset Tribonianus, scribit *Baccov. vol. 2. disp. 13. th. 8. lit. C.* si omnes ingratitudinis causas quandocunque emersuras enumerare se posse persuasisset sibi. Ὥσπερ γὰρ ἡ περὶ τὰς ἄλλας τέχνας, ἡ τὴν πολιτικὴν τάξιν ἀδύνατον ἀκριβῶς πάντα γεγράφηναι, *Aristot. 2. Polit. 8. in fin.* Add. *l. 12. ff. de LL.* ibi: *non possunt omnes articuli ll. comprehendi.* (III.) Sich. d. l. n. 8. ita colligit: *Si* circa vasallum habemus causas expressas, & tamen 2. F. 24. subtiliter dispicere jubemur, an similis aliqua vel major causa incidat, ut etiam propter eam non expressam possit Vasallus privari feudô; *sequitur*, quòd idem sit observandum in exheredandis liberis, ut ibi quoque, quamvis aliqua causa non sit expressa, si tamen sit expressis *par vel major*, debeat & possit propter eam filius exheredari. Ratio consequentiæ est, quia in d. tx. vasalli & liberi quoad amissionem feudorum & bonorum paternorum æquiparantur. Stabilitâ igitur hâc sententiâ, *quòd similes & majores causæ sint admittendæ*, satisfaciendum erit Dissentientium argumentis. † Allegatus *Stephani* opponit *ex Giphaniô* IV. 7. rationes. (I.) quòd frustrà Imperator numerum definiverit lege, si eum liceret augere interpretatione; quod objicit etiam *Perez ad tit. C. de liber. præter. n. 18. Lud. Molina Tom. 1. de Just. & J. disp. 176. n. 50.* Resp. (1.) Justinianus propositum suum satis acquisivit, dum licentiam veterum determinavit, atque regulam nobis reliquit, secundum quam exheredationem, an justa an indigna, an similis,

milis, an major, an minor, examinemus. (2.) nec augetur numerus præscriptus, quia similes & pares comprehenduntur. (II.) colligit: *Si id liceret in causis liberorum, liceret & in causis fratrum, cùm nulla sit diversitatis ratio.* Resp. concedimus totum argumentum. Et in fratribus extensionem libenter admittit ipse quoad liberos dissentiens *Wesenb. in parat. C. de inoff. test. in fin.* (III.) quia veniretur ad eandem infinitatem & incertitudinem, quæ fuit ante hanc Nov. 115. quænam essent causæ idoneæ vel non. At hoc contra mentem expressam Justiniani, qui eam causarum infinitatē voluit resecare, verbis: *nominatim præsente lege comprehendere.* it. *præter ipsas.* quod opponit etiam *Molina d. disp. 176. n. 50. 51.* & Dissentientes communiter. Resp. (1.) Nihil est mutuendum de tali incertitudine, cùm habeamus jàm regulam, secundum quam causas examinemus, ut suprà dictum. (2.) Vox exclusiva *præter* excludit tantùm *minores*, *non* autem eas, quæ sub subjectis continentur h.e. *similes & majores.* Sic *Gloss. in l. 12. C. de prad. min. non alien.* ad verba: *ob æs alienum tantùm*, addit: *Vel similem causam*, & alias multas ibi recensēt causas, propter quas prædia minorum decretô judicis possint distrahi. Sic etiam in *l. fin. C. de revocand. donat.* (ubi dicitur, *tantummodò esse quinq; causas, propter quas possit revocari donatio*) Glossa ad verb. *voluerit*, dicit, *ex aliâ etiam simili causâ revocari posse donationem*, e. g. si donator incidat in egestatem, & non alatur à donatariô, causa erit sufficiens ad revocandam donationem. *Gloss. d. l.* (3.) Vox *præter* excludit tantùm *antiquas anteriorum legum causas*, de quibus inter veteres JCtos fuit disputatio. (IV.) Opponit *l. 19. ff. de liber. & posth.* ubi Paulus dicit, *non esse adjuvandas exheredationes*, adjuvare autē est extendere exheredationes interpretatione, per *l. 64. ff. de condit. & demonst.* Resp. Est hæc interpretatio propriè non *extensiva*, sed potiùs *intensiva, intellectiva & comprehensiva*, ut loquitur *Magnif. Dn. Frantzk. b.m. in Comment. ad ff. de LL. n. 46.* Similes enim & majores causæ sub ipsâ legis regulâ comprehenduntur, cùm lex aliàs elusoria fieret. † Nunc satisfaciendum quoque & illustri JCto *Arumæo*, qui cit. loc. præter ea, ad quæ jàm Stephano est responsum, objicit ulterius: (I.) quòd in odiosis & pœnalibus extensio licita non sit, *cap. odia 15. de R. J. in 6.* etsi eadem vel major sit ratio. Quod etiam opponit & vel maximè urget *Perez. ad rubr.*

rubr. C. de liber. præter. n. 18. Exheredationes autem sunt odiosæ, cùm exheredatis notam & ignominiam afferant, *l. 18. C. de inoff. testam. l. 10. C. de testam. milit.* Ergò. Sed magno adversario Magnus objiciendus Hercules. Respondemus igitur cum *Magnif. Dn. Frantzk. b. m. Comment. ad ff. tit. de LL. n. 46. & n. 51.* quòd etiam in odiosis & pœnalibus interpretatio extensiva locum interdum inveniat. Quod etiam probat *Sichard. ad auth. non licet. C. de lib. præter. n. 8.* si eadem aut major ratio. Aut dicimus *cum Baccoviô vol. 1. disp. 13. th. 8. lit. C.* non odiosum, sed justum & favorabile habendum esse, filium ingratum ab hereditate paternâ excludi. Deinde etiam possumus facilè concedere ultrò, exheredationes esse restringendas. Et nos etiam eas restringimus ad has 14. causas, & eis similes & majores, excludimus alias omnes, istis dissimiles quæ sunt aut minores. (II.) Opponit *Arum. all. loc.* hanc collectionem: *Causæ expressio certa esse debet, quia forma exheredationis in expressione causæ consistit.* Certa autem esse non potest, quæ ex arbitriô cujusque dependet, *arg. l. 2 ff. de jur. & fact. ignor.* Ergò licita extensio non est. Resp. Negamus omninò, causas ejusmodi prorsus ex arbitriô dependere judicantium, quia judices sunt adstricti hodiè, regulam hanc Nov. observare, causasque secundum illàm examinare, an similes vel majores, an sub istis 14. comprehendantur vel non? Et jus est omninò etiam hâc in parte finitum, ut debet esse, secundum *object. l. 2. de jur. & fact. ign.* nam alias omnes causas, dissimiles his aut minores, esse prohibitas, ultrò concedimus. Et hæc nostra sententia etiam in praxi communiter observatur. *V. Zoes. ad ff. de liber. & posth. n. 13.*

§. VII.

1. Injectio manuum qualis hîc intelligenda?
2. Exponitur lex quædam Romuli.
3. Honorandi sunt parentes, non exhonorandi.
4. Illustratur l. 9. ff. de obseq. parent.
5. Levatio manûs exheredationem nô meretur.
6. Gœddeus deseritur.
7. Cessat exheredationis pœna, si pro inculpatâ sui defensione filius parentes percusserit.
8. Respondetur Hugoni Grotio.
9. Rejicitur Bodini conatus.
10. Item Platonis Judicium.
11. Cessat exheredatio, si pro defensione patriæ filius in patrem insultârit.

Verba

CAusas autem justas ingratitudinis has esse decernimus: I. Si quis parentibus suis manus intulerit.

Si † quis parentibus suis manus (intellige *impias & violentas, l. 1. §. 2. de obsequ. parent.*) intulerit, vel istos percusserit, ut explicat *Sichard. ad auth. non licet. C. de liber. præter. n. 3.* (Injectio enim manuum non adeò propriè hîc est intelligenda. Satis namq; est parentem sive manibus s. pedibus, sive lapide, s. fuste, s. ense, aut aliâ quâvis re injuriosè attingere, *arg. l. 7. §. 1. ff. ad L. Aquil. Add. Lud. Molina Tom. 1. de Just. & Jur. Tract. 2. disp. 176. n. 1. Canis. ad cap. ult. X. de Donation. n. 5.*) licet parentibus audaciam istam exheredatione vindicare. Graviorem hujus delicti pœnam statuit Romulus, cujus legem Cujacius *in parat. C. de ingrat. liber.* refert talem: Si. parentes. puer. verberaverit. ast. olli. plorassint. puer. divis. parentum. sacer. esto. Si. nurus. sacra. divis. parentum. esto. † Hoc est, uti explicat Cujacius *d. l. si liberi parentibus impias manus intulerint, illi autem imploraverint jus publicum, in sacra parentum h. e. eorum potestatem* (quâ per emancipationem sunt soluti) *redigantur, ut ab eis impunè occidi possint.* Regulam igitur, *emancipatos liberos in patriam potestatem invitos non redigi, l. ult. ff. de his qui sunt sui vel al. jur.* intellige & limita: *nisi existant ingrati.* Qualem pœnam Plato suis præfinierit legibus, vide in *Camer. lib. 1. Medit. subcis. cap. 92.* In *l. 1. §. 2. ff. de obsequ. parē.* præfecto urbis hæc liberorum petulantia pro modô ejus punienda traditur. Jure divinô istud delictum capitale fuit, ut patet ex *Exod. 21. v. 15.* ibi *secund. Luth. vers.* Wer seinen Vater oder Mutter schläget (ob sie gleich nicht daran sterben/ut explicant *Theologi Saxon. in Bibl. Vinar.*) der soll des Todes sterben. † Honorari etenim parentes oportet, *l. 1. pr. & §. 2. ff. de obsequ. par. l. ult. C. qui & adv. quos restit.* non exhonorari, *Nov. 22. cap. 21.* Et filio semper honesta & sancta persona patris videri debet, *l. 9. ff. de obsequ. par.* Ait JCtus: *semper videri debet.* † nimirùm etiamsi inhonesta & turpis sit persona parentis, parens tamen filio semper sanctus & honestus videri debet. *Add. l. ult. C. qui & adv. qu. restit.*

1.

2.

3.

4.

Ait autem Imperator: **intulerit.** Requiritigitur realem manuum injectionem. Quid autem si conatus quis sit & non intulit, sed tantùm *manus* adversus parentem *levâsse* proponatur, eritne hoc sufficiens exheredandi causa? † Negamus, quia utitur Imperator notanter hîc verbô *intulerit* (ad cujus differentiam in causâ Vtâ adhibet verbum *tentaverit*) ut seriò excludere hîc voluisse videatur conatum. Adde quæ de conatu tradit Gœdd. *ad l.* 225. *n.* 9. *ff. de Verb. S.* Et ita etiam Consulti Marpurgenses *vol.* 3. *consil.* 28. *n.* 105. responderunt, ad exheredationem non sufficere levationem manus vel gesticulationem injuriosam. † Malè tamen Gœddeus *d. consil. n.* 121. & 134. subjicit, quòd licet levatio manûs sub hâc primâ causâ non contineatur, contineatur tamè sub secundâ, quæ agit de gravi & inhonestâ injuriâ. Et facit pro hâc sentiâ *l.* 15. §. 1. *ff. de injur.* ubi dicitur, *eum injuriarum actione utili teneri, qui manus adversus quem levârit, & sæpè territârit, quasi vapulaturus, licet non percusserit.* Sed Respondemus: (1.) Causam sequentem Exheredationis secundam non agere de injuriâ quâcunq; reali, sed tantùm de injuriâ graviori verbali, ut *in* §. *seq.* probabimus, adeoque illa injuria, quæ fit manuum levatione, non poterit ad illam causam referri. (2.) Ad objectam *l.* 15. §. 1. *de injur.* dicimus, non sequi: *Ille tenetur injuriarum actione. E. est exheredan-*
7. *dus.* Nec enim omnis injuria sufficit ad exheredationem. † Quid autem dicendum, si filius *seipsum vitamq; suam inculpatè defendendo* patrem percusserit, anne propter hoc legitimè poterit exheredari? *Negamus*, & excipiunt hoc Dd. communiter, (1.) cùm defensor propriæ salutis in nullô peccâsse intelligatur, *l.* 3. *C. ad L. Corn. de sicar.* & quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimetur, *l.* 3. *ff. de Just. & Jur.* (2.) cùm defensio sui sit juris naturalis, *l.* 1. §. 27. *ff. de vi & vi armat.* quoad jus naturale autem omnes homines æquales sunt, *l.* 32. *ff. de Reg. Jur.* Hinc contra cujuscunque dignitatis insultantem, etiam Papam (quia nullibi exceptus legitur sanctissimus Pater) licitum est se defendere, si *contra omne jus* alteri vim inferat, nec ullô aliô modô quis possit crudelitatem imminentis mortis effugere. Ubi enim nulla prorsus alia ratio est expediendæ salutis, naturalis ratio defensionis respectum istum subjectionis excludit, *Baccov. ad Treutl. vol.* 2. *disp.* 32. *th.*

32. tb. 6. lit. F. † Dissentit Hugo Grot. *lib. 2. de jur. Bell. & Pac.* &
cap. 1. n. 9. dicens, *quòd si invasoris vita multis sit utilis, is occidi non*
possit sine peccatò. Resp. Equidem boni publici causâ Principi,
cum quô publica salus conjuncta est, à subditô, quantum fieri pot-
est, parcendum est, & extrema potiùs quæque tentanda, quàm ut
ille occidatur. Sed tamen si quis privatus nullâ aliâ ratione im-
meritam mortem effugere poterit, licitè se defendet adversus suum
magistratum, quippe qui, si suam potestatem à Deo commissam
excedit, desinit esse Magistratus, & fit quasi privatus *l. 32. ff. de injur.*
& latronis personam induit, *arg. l. 5. ff. ad L. Pompej. de Parricid.*
Si igitur contra magistratum invasorem licita est sui defensio,
quidni etiam contra parentes? parentes paternæ castigationis li-
mites tyrannicâ & Bodinianâ sævitiâ excedentes, cur dicamus pa-
rentes, & non potiùs invasores, imò latrones, *d. l. 5. ff. ad L. Pompej.*
de Parricid. contra quos inculpatè nos possumus defendere? Et
ineptè objicitur Patria Potestas. Crudelissimâ enim illâ patrum
potentiâ, quæ usque ad necem se in liberos extendebat olim, sublа-
tâ per *l. unic. C. de his qui par. vel lib. occid.* patria potestas hodiè
in pietate, non in atrocitate consistere debet, *l. 5. ff. ad L. Pompej.*
de parricid. † Nihil curamus *Bodini* conatum, qui *lib. 1. de Rep.* 9.
cap. 4. parentibus jus vitæ & necis in liberos restitui consultum o-
pinatur. † Et parùm æstimamus *Platonis* etiam judicium contra- 10.
rium, qui *lib. 9. de LL.* filium omnia potius sustinere præcipit, quàm
contra parentes, à quibus in lucem editus est, se defendere. Cessa-
re igitur dicimus exheredationem, si filius percusserit patrem *ob in-*
culpatam sui defensionem. † An etiam, si *ob defensionem patriæ* tale 11.
quid fecerit, idem dicendum? Imò idem, per *l. 35. ff. de relig. &*
sumt. fun. quæ talem filium, qui patrem ad patriam delendam ve-
nientem interfecit, non veniâ solùm, sed & laude & præmiô dignũ
censet. Si licet patrem invasorem patriæ occidere, etiam impu-
nè licebit, & multô magis quidem, talem percutere, ipsiq; manus
opponere violentas. Publica siquidem privatâ pietate potiora ju-
dicanda, *Val. Max. lib. 2. cap. 2. n. 4. in fin. l. 14. pr. ff. ad SCt. Tre-*
bell. Rectè etiam Cicero *lib. 3. offic. Ad extremum*, inquit, *si res ad*
perniciem patriæ spectabit, patriæ salutem anteponet filius patris saluti.
Utpote cùm non minus patriæ quàm patri sit natus, *l. 1. §. 15. ff.*

de ventr. in poſſeſſ. mitt. Add. *l.* 14. §. 4. *ff. de muner. & honor. l.* 19. §. 7. *ff. de captiv. & poſtlim.* Exemplum liberorum, qui patrem proditorem patriæ jugulârunt, refert ex Zaſiô *Gothofr. ad d. l.* 35. *ff. de relig. & ſumt. fun.* An & patrem bannitum (in die Acht erklârt) filius impunè occidere poſſit? tractat *Did. Covarruv. in Epit. ad IVtum Lib. Decret. part.* 2. *cap.* 7. §. 7. *n.* 5. ubi id ſeriò negat.

§. VIII.

1. VVeſenbecii lapſus.
2. Cauſa hæc ſecunda reſtringenda ad injuriam verbalem.
3. Probatur id quinq; rationibus.
4. Objectio reſolvitur.
5. Gravis injuria hîc requiritur.
6. Nec reſpectivè talis, ſed in ſe & ſuâ naturâ.
7. Contumelia æquiparatur verberibus.

Verba Imper.

II. SI gravem & inhoneſtam injuriam eis ingeſſerit, ut legunt Florentini.

1. Nimiùm † judiciô ſuô *Weſenbecius* fallitur, dum in *parat. C. de inoff. teſtam. n.* 18. verſ. *meô quidem judicio* exiſtimat, hanc exheredationis cauſam, quæ de gravi & inhoneſtâ injuriâ diſponit, *generalem eſſe*, nec ullam dari poſſe, quæ non includi poſſet in gravem & inhoneſtam injuriam. Idem tradit *Gomez Tom. I. Var. Reſolut. cap. XI. n.* 13. *in fin.* ſcribens, *quòd nulla ſit cauſa, quæ accidere poſſit, quæ non comprehendatur ſub hâc ſecundâ.* Eſſet uterq; verus, ſi Imperator generaliter velit intelligi. Sed abſurdam illam mentem prudentiſſimo Imperatori affingere cui non religio ſit? Separavit hanc ipſam causâ à reliquis, & in numerum 14. cauſarum ſpecialium poſuit, quomodo igitur erit generalis? Et generalis ſi eſſet, Imperator non 14. ſed 13. tantùm poſuiſſet cauſas. Quid opus
2. fuiſſet quatuordecim ponere, cùm ſuffeciſſet hæc una? † Rectius igitur hanc cauſam cum quibusdam Interpretibus reſtringimus
3. ad injuriam *verbalem* (1.) † propter Græcam Novellæ vocem ὕβριν, quæ notat *contumeliam* ſive *injuriam verbalem. Luc. XI. v.* 45. ταῦτα λέγων καὶ ἡμᾶς ὑβρίζεις, *quum hæc dicis, etiam nos afficis contumeliâ*; Luth. mit dieſen Worten ſchmâheſtu uns auch. Et ita etiam hîc

hîc in Basilicis legitur: Ἐι βαρεῖαν ἢ ἀπρεπῆ ὕβριν αὐτοῖς ἐπαγάγοι, *Tom. IV. edit. Fabrot. lib. 35. tit. 8. pag. 784.* (2.) cùm præcedens causa concepta sit de injuriâ reali. E. hæc intelligenda de verbali. quô argumentô utitur *Alexand. lib. 2. consil. 202. n. 1. 2. & 3.* (3.) argumentum præbet *l. 1. § 2. ff. de obseq. parent.* ibi: *contumeliis afficit vel impias manus eis infert.* Atq; sic expresè contradistingvitur injuria verbalis reali. *(4.)* Probant hunc intellectum versiculi veterum: *si patrem feriat, vel maledicat ei*; quos refert *Wesenbec. parat. ad ff. de lib. & posth. n. 4.* Et aliûs veteris Scriptoris: *Si verbere patrem læserit, aut verbis si violentus erit.* quos habet *Hilliger ad Donell. Lib. VI. cap. 12. lit. m. (5.)* In Codice etiam Holoandri legitur: *Si atrocem & indecentem contumeliam ingesserit.* quam lectionem etiam sequitur *Steph. ad h. Nov. n. 18.* † Non obstat verbum *ingesserit*, 4.
quod idem significare videtur ac *intulerit*, atque sic magis injuriæ *reali* quàm *verbali* convenire. Imô magis *verbali*. Sic apud *Horat. lib. 1. serm. satyr. 5. in init.* legitur: *convicia alicui ingerere.* Et apud *Plautum in Asin. Act. 5. scen. 2. quum dicta in me ingerebas*, i.e. *cùm mihi maledicebas*, ut explicat *Lambinus ibi.* Ait † autem 5.
Imperator: gravem & inhonestam, i.e. atrocem, contumelioſiorem & majorem, *l. 7. §. 7. de injur.* Adeoque disertè vult, non quaslibet injurias verbales hîc sufficere, sed requirit *graves & inhonestas.* † nec illud accipiendum de injuria ex consideratione personarum tali, sive *relatione ad parentes*, cùm horum respectu quævis injuria sit atrox, §. *9. Inst. de injur. l. 7. §. fin. ff. eôd.* & gravis. *l. 28. §. 8. ff. de pœn.* sed de ejusmodi injuriâ id intelligere debemus, quæ *in se talis* sit *& suâ naturâ*, ut rectissimè explicat *Wesemb. in parat. C. de inoff. test. n. 18.* quæ autem gravis & inhonesta injuria censenda sit, arbitrio judicis relinquit Lud. Molina *Tom. I. de Just. & Jur. Tract. 2. disp. 176. n. 2.* Nec dubitare quis debet, num verborum injuria, licet gravis & inhonesta, sit sufficiens exheredationis causa? † cùm *contumelia æquiparetur verberibus*, præ- 7.
cipuè in parentibus, & jure divinô morte puniatur is, qui patri vel matri maledicit, perinde ac is, qui eos verberat, *Exod. 21. vers. 17. Levit. 20. vers. 9. Matth. 15. v. 4.* Add. *can. 20. distinct. 86.* Exempla hujus causæ legi possunt apud *Decian. vol. 4. Resp. 51. n. 51. Gædd. vol. 3. consil. 28. n. 120. Alexand. l. 3. consil. 203. Curt. jun. consil. 148. in pr.*

Comprehenditur autem sub injuria verbali etiam ea, quæ fit *literis*, ut si filius libellum famosum (ein Paßquill) in patrem evulgaverit, si cornua pro foribus illius appinxerit, vel aliud simile fecerit in injuriam parentis. *Molina d. d. §§. 176. n. 2.*

§. IX.

1. Liberi parentes in causis criminalibus accusare prohibentur.
2. Quid si sponte adversus eos testimonium dicant?
3. Quid si ultrò advocationem contra eos suscipiant?
4. Quid si alium, qui eos accuser, instigent, adjuvent?
5. Explicatur l. 14. §. 9. ff. de bon. libert.
6. Multùm interest inter advocationem voluntariam & necessariam.
7. Et inter testimonium spontaneum & coactum.
8. In crimine læsæ majestatis & perduellionis liberi parentes impunè accusant.
9. Omnibus honesta istius criminis reorum proditio.
10. Cautè liberi hôc quoque in crimine parentes accusare debent.
11. An & is incurrat læsæ maj. crimen ejusq; pœnam, qui illud non revelat?

Imper. Verba:

III. Si eos in criminalibus causis accusaverit, quæ non sunt adversus Principem sive Rempublicam.

1. Cùm † liberi parentes non nisi veniâ & permissu Prætoris in jus vocare possint, *l. 4. §. 1. ff. de in jus voc. l. 3. C. eôd.* cùm naturali ratione honorem ac reverentiam ipsis debeant, *l. 2. C. eód.* multô major ipsis erit aut esse debebit religio, in causis capitalibus eos accusare, *l. 5. C. ad L. Corn. de falsi.* cùm & regulariter propter conditionem suam id facere prohibeantur, *l. 8. in fin. ff. de Accus.* ideoque & hîc ab Imperatore sub pœnâ exheredationis graviter ipsis interdicitur. † Quid si *sponte* in criminalibus causis *testimonium* contra patrem filius quis dixerit, † aut *ultrò (non ex officiô aut necessitate) advocatum* egerit adversus patrem? quid si ipse quidem accusationem non instituerit, † sed *alium*, ut patrem accusâret, *instigaverit, subornaverit, instruxerit, adjuverit pretiô, consiliô, probationibus*? an & tunc potuerit pater suô jure uti, filiumque exheredare, *l. 3. §. 5. ff. de bonor. poss. contr. tabb.* ? Nihil dubitandum

2.

3.

dum, cùm eadem subsit ratio. *Magnif. Dn. Frantzk. h. m. Comment. ad ff. de inoff. test. n. 78. Arum. Disp. Feud. 8. th. 14. Covarruv. ad cap. Raynutius X. de Testam. in princ. n.* 11. *Lud. Molina Tom. 1. de Just. & J. disp. 176. n. 3.* Quoad advocationem Dissent. opponunt (1.) *l. 14. §. 9. ff. de bon. libert.* ibi: *neq; enim advocatus accusat.* Resp. † Intelligenda illa l. de advocatione *necessariâ*, prout monet *Gothofr. ad illam l. lit. O.* quæ propter officii necessitatem in omnibus satis excusat, *l. 5. §. 13. ff. de his quæ ut indign. l. 7. C. de postuland.* nec talis advocatus accusare intelligitur, *oppos. l. 14. §. 9. de bon. libert.* 5.
† Multùm enim interest inter accusationem voluntariam & officii necessitatem, *l. 2. in fin. C. de calumn.* Nos autem loquimur de eô, qui *sponte & ultrò* advocationem contra patrem suscipit. Et licet vel maximè concedamus, illum *propriè* patrem non accusare, qui advocationem contra illum suscipit, negari tamen non potest, facere talem filium *aliquid accusationi maximè simile*, ac impietate istâ, dum accusatori adsistit illumque juvat, indignum se reddere successione patris. Perperam (2.) objiciunt *l. 54. ff. de rei vindic.* 6.
Distinctionem enim inter officium advocationis & defensionem rei suæ nemo unquam negabit. nec illa lex huc quicquam facit; quod enim ibi dicitur, quod, si quis ignorans rem suam alii eam vindicanti adstiterit, & patrocinium præstârit, propterea dominium ejus non amittat; ex eô ineptè concluditur, quòd etiam, si quis temerè contra proprium patrem alii patrocinium præstârit, id facere potuerit impunè, nec dominiô hereditatis à patre privari possit. † Quod testimonium filii *spontaneum* contra patrem in causis criminalibus sufficiens sit exheredationis causa, probamus *arg. cap. unic. §. 1. vers. similiter, de consuetud. rect. feud. 2. Feud. 33.* 7.
Dissent. opponunt commune dicterium, *quòd non accusâsse dicatur, qui testem egerit*, secundum Gloss. *in l. 14. §. 8. de bon. libert.* Respondetur autem distingv. ut suprà, inter *spontaneum* & *coactum* testimonium, *l. 14. §. 10. ff. de bon. damn.* Ille qui se sponte obtulit ad testimonium, accusâsse *quodammodo* (licet non propriè *sec. d. l. 14. §. 8. ff. de bon. libert.*) omninò intelligitur. *Covarruv. in prælim. ad c. Raynutius X. de Testam. n.* 11. † Excipit autem Cæsar hic crimina, *quæ sunt adversus Principem, aut Rempublicam*, vel si mavis, *læsæ Majestatis* (*humanæ*, & imò secundum Lud. Molinam *Tom. 1. de*

Justit.

Justit. & Jur. Tract. 2. disp. 176. n. 3. etiam *divinæ*) & *perduellionis* crimen, in quibus causis filiis accusationem adversus parentes impunè permittit. nam & hîc famosi, qui aliàs jus accusandi non habent, & milites, & servi deferentes dominos suos, & liberti patronos, audiuntur. *l. 7. pr. §. 1. 2. ff. ad l. Jul. majest. Harmenop. Lib. I. Epit. Basil. tit. 6. Eberh. Speckhan Cent. I. Quæst. Jur. q. 95. n. 4.* quidni & liberi adversus parentes? cùm & filius patrem, si ad Rempublicam aut patrem delendam venerit, aut eam consiliô, ope, dolô malô hostibus prodiderit, *l. 10. ff. d. t.* non solùm sine scelere occidere possit, sed & si id fecerit, præmiô honoretur, *l. 35. ff. de relig. & sumt. fun.* Non est crudelis, qui crudeles jugulat, *can. 28. C. 23. q. 5.*

In reos majestatis aut perduelliõis omnis homo miles est.

9. *Gothof. ad l. 7. ff. ad L. Jul. maj. lit. g.* Omnibus † igitur honesta quoque erit istius criminis reorum proditio, *l. 2. in fin. C. Theod. ne prætor. crim. maj. serv. dom.* imò & præmiô & honore digna, *l. 5. §. 7. C. ad l. Jul. maj.* Add. *l. pen. C. qui accus. non poss.* Sic *Q. Vibius* Serenum patrem de crimine majestatis rectè accusâsse dicitur à Ta-
10. citô *lib. 4. Annal.* † Singulari tamen prudentiâ & circumspectione filius opus hîc habet, ne dum accusat patris crimen, in aliud ipse incidat, hoc est, pietatem lædat. Rectè faciet filius, patrem adversus Rempublicam vel principem hostili animo animatum observans, *l. ult. vers. planè. ff. ad l. Jul. maj.* si eum prius obsecret, ne id, quod molitur, faciat; accusationem etiam minetur. Si nihil proficiat, ac res ad perniciem publicæ Rei aut Principis interitum spectet, intrepidè accusabit, patriæque salutem anteponet saluti patris, nec enim nefandum illud crimen sine crimine celare potest,
11. *arg. l. quisquis 5. §. 7. C. ad l. Jul. Majest.* † An autem is incurrat læsæ majestatis crimen & pœnam ejus delicti, *qui non ignorat committi illud, nec tamen id revelat,* (quod hîc faceret filius patris scelus celans) quærunt Dd? *Negativam* primus defendisse dicitur *Baldus* in quôdam consiliô, ubi asserit, *Bartoli animam in infernô cruciari ob illam ab ipsô affirmatam quæstionem, atq; omnes judices & eorum assessores, qui illam Bartoli doctrinam sequuntur, esse homicidas.* Bocer. *tract. de crim. læs. maj. cap. 2. n. 39.* Affirmantes innituntur *d. l. quisquis 5. §. 7. C. ad L. Jul. Maj. & l. unic. §. pœnis. C. de rapt. virgin.* Nos distinguimus, an delicti istius conscius *evidenter accusationem*

fationem suam probare possit, an non? Priori casu accusationem intermittens vix effugiet pœnam istius criminis; *Posteriori* non ordinariâ L. Juliæ pœnâ, sed extraordinariâ, & quidem mitiori, puniendus est.

§. X.

1. Malefici, venefici;
2. Explicatur rubrica C. de maleficis & mathematicis.
3. Mathematici, qui?
4. Malefici, qui?
5. Discedit à Sichardô.
6. Malefici, incantatores.
7. Filii malefici exheredari possunt.
8. Alii malefici hominibus nocent, alii illis prosunt.
9. Utrique damnabiles & pœnâ exheredationis digni.
10. L. 4. C. de malef. & math. ab Imp. Leone reprobata.
11. Quid versari cum maleficis ut maleficus.

Verba Imper.

IV. SI cum maleficis hominibus ut maleficus versatur.

Maleficos † interpretatur *Stephan. ad h. Nov. n. 18.* 1.
venenicos & damnabiles Mathematicos. Et sanè Græca Novellæ vox φαρμακὸς (à φάρμακον, quæ vox media est, & modò *medicinam*, modò *venenum* significat, *l. 236. pr. ff. de V. S.* unde in *l. 35. §. 2. ff. de contrab. emt.* venenum *malum* dicitur ad differentiam *boni*, sc. medicamenti, quod etiam *venenum* dicitur, *d. l. 236. de V. S.*) propriè *veneficum* denotat. Et ita etiam Græci in Basilicis legunt: Ἐι μετὰ φαρμακῶν ὡς φαρμακὸς ἀναστρέφεται, *h. e. ex Fabroti versione:* si cum veneficis ut veneficus conversetur, *Tom. IV. edit. Fabrot. lib. 35. tit. 8. pag. 784.* Venefici autem communiter *malefici* dicuntur, quod satis etiam probat *l. 1. C. de malefic. & mathem.* † in quâ rubricâ cùm conjungantur *malefici & mathematici* (quæ conjunctio causam etiam videtur Stephano dedisse, ut *maleficos* interpretatus fuerit *veneficos & mathematicos*, ut *in princ. h. §.* dictum) non possumus non, antequam ulterius in maleficos investigemus, inquirere, quinam ibi intelligantur *mathematici*? † Dicuntur autem ibi *mathematici*, non illi, qui siderum motus, & qui ex illis sequuntur, effectus inquirunt, artemque exercent Geometricam, publicè utilem, *l. 2. C. d. t.* sed *vaticinatores*, qui illis artibus abutuntur, *Gothofr. in marg. ad d. l. 1.* & ex solâ siderum ob-

2.

3.

servatione atque vanâ manuum vultûsque inspectione se fata cujusque nosse, imò & aliis malis artibus ac furtivis magicis facere se omnia posse profitentur, *Perez. ad rubr. C. d. t.* & *mathematicorum* liberali nomine ineptias suas adumbrant, *Cujac. in parat. C. d. t.* Cujus generis sunt aruspices, augures, vates, *l. 5. C. d. t.* somniorum interpretes, *l. 7. C. d. t. Cujac. d. l.* Qui mendaciissimi homines, *Gothofr. ad rubr. C. d. t.* cum hodiernis veris Mathematicis, Geometriæ, Astrologiæ & Arithmeticæ peritis, nihil habent commune, nec famæ eorum quicquam detrahunt; quemadmodum nec *JCtorum* gloriam rabulæ imminuunt forenses, nec *Medicorum*
4. gratiosum ordinem Doctores dehonestant circumforanei. † Jàm qui Imperatori nostro dicantur *malefici*, videndum. Suprà diximus, per *maleficos* communiter intelligi *veneficos*, seu *venenarios*, ut in *l. 28. §. 9. ff. de pœn.* & *à Cujac. in parat. C. de malef.* appellantur, qui scil. malis medicamentis hominibus, frugibus, animalibus nocent, *Perez. ad rubr. C. d. t.* qui φίλτροις pudicos animos ad libidinem deflectunt, *l. 4. C. d. t. Gothofr. in not. ad d. l. 1. lit. r.* aut (*ut eleganter Leo Imper. Nov. 65. loquitur*) modestiâ animi sublatâ stimulis furoreque amatoriô rationem ad insaniam adigunt. Et generali appellatione *malefici* dicuntur *omnes, qui damna inferunt,*
5. *Perez. d. l.* † Sichardus *ad auth. non licet. n. 3. C. d. liber. præter.* per maleficos intelligit eos, qui sectam aliquam damnatam sequuntur, quemadmodum hodiè esset versari cum Anabaptistis. Verùm cùm Justin. non hîc, sed in causâ ultimâ de hæreticis agat,
6. vix est, ut Sichardi opinioni assentiri possimus. † Rectius comm. interpretes per *maleficos* hîc intelligunt *incantatores*, qui præstigiis & magicis artibus contra salutem hominum varia nefanda moliuntur, *l. 4. C. de malef.* connubia trist antur, copulam maris & fœminæ impediunt, *Gothofr. ad d. l. 4. lit. S.* vitas insontium labefactant, *l. 6. C. d. t.* elementa turbant, *ibid.* imbribus, ventis, grandinisque lapidatione fructus destruunt, segetem corrumpunt, *l. 4. d. t.* unde etiam communis salutis hostes, *l. fin. C. d. t.* & humani generis inimici, *l. 7. eôd.* appellantur. ideoque etiam durissimam & infamem mortem, *feralem pestem*, h. e. ignis supplicium Impp. istis maleficis decreverunt, *l. 6. C. d. t.* Similiter & eos *maleficos* esse, qui Christianæ fidei renunciantes pactum aut societatem cum Diabolô

bolô contrahunt, aut aliàs quid commercii aut consuetudinis cum eô habent, quô cooperante adhibitis artibus illicitis hominibus ac brutis animalibus nocent, docet *Magnif. Dn. Carpzov. part. 1. prax. crim. q. 48. n. 2. & q. 49. n. 12. 13. & seqq.* Quicquid tandem sit, dubitare vix possumus, quin Imper. per *maleficos* intellexerit tale genus hominum, qui magicis artibus omnem navant operam, *Confer l. 7. vers. si quis. C. de malef. & math.* † Horum proinde 7. societatem adeò abominatus est Cæsar, ut patribus, si liberos suos cum talibus maleficis assiduô degentes deprehendant, nec ab ipsorum improbâ societate retrahere eos possint, licentiam dederit legitimè istos *ut naturæ peregrinos, l. 6. in fin. C. de malef. & math.* indignos suâ successione judicare; culpa enim similis est tàm prohibita discere quàm docere, *l. 8. C. eôd.* † Cùm autem duplices sint 8. malefici seu magi: *Alii*, qui hominibus & animalibus *nocent*, de quibus jàm dictum; *Alii*, qui hominibus *prodesse* videri volunt, avertendo ab eis mala, per characteres varios, signa crucis, reliquias sanctorum, imagines cereas, schedulas, quibus ignota verba continentur, & sacra etiam commiscentur, *Perez. ad d. rubr. C. de malef. n. 3.* item ægrotantibus subveniendo, grandines vel tempestates arcendo, &c. de quibus agit latè *Petr. Gregor. 34. syntagm. 13.* Et istis posterioribus maleficis si filius se associaverit, an etiam pœnâ exheredationis dignus sit, *quæritur* ? † Et nihil dubitamus de 9. *Affirmativæ* veritate, nam & istud consortium fugiendum filio, cùm & illi malefici & incantatores præ Creatore ac Domino infaustis dirisque dæmoniis adhæreant, *Leo Nov. 65.* & ipsa ars illa magica, quam *mathematicam* Impp. in *l. 2. C. de malef.* vocant, sit damnabilis; Istis enim ex signis vel characteribus nec naturales effectus producuntur, quia talia signa naturaliter nihil operantur, nec supranaturales, cùm vanitatem potiùs sapiant, quàm pietatem, & à dæmone potiùs sint procurati, *Leo Nov. 65.* Non obstat *l. 4. vers. nullis verò. C. de malef.* quæ illos tantùm maleficos puniri vult, qui contra salutem hominum aliquid moliuntur, non item eos, si prosint hominibus, & quorum proficerent actus. Nam istius l. 4. dispositio paganismum sapit, ut dicit *Perez. prælect. in d. t. C. de malef.* † estque gravissimè reprehensa ab Imperatore Leone 10. in *Nov. 65.* ubi & istas incantationes pernicioſas esse, nec boni quic-

quam inde manare dicit, eosque, qui talibus incantamentis usi fuerint, sive id restituendæ conservandæve valetudinis, sive avertendæ à rebus frugiferis calamitatis causâ fecerint, suppremum supplicium sustinere jubet. Pontifices etiam hujusmodi divinationes & magias, licet salutem & bonum procurare videantur, omninò improbant, *cap. 1. & 2. de sortileg.* quòd nihil possit esse bonum, quod ex pactione cum dæmone aut ejus arte oritur; & licet esset bonum per se, quia tamen ab eô procedit, polluitur. Nihil igitur testator dubitabit, si ejusmodi filium habeat, qui talibus maleficis & incantatoribus, qui se hominibus proficuos dicunt, assiduò adhæreat, & cum istis versetur, num istum immorigerum bonis excludere suis possit, sed justè eum pœnâ exheredationis dignum æ-
H. stimabit. † Ait autem Imperator: Si cum maleficis ut maleficus versatur. Notanter dicit: ut maleficus. Non enim illicò maleficus est, aut ut maleficus damnandus, qui inter maleficos *in itinere aut hospitiô* repertus fuerit, *Gothofr. h. lit. f.* cùm eô nomine puniri nemo debeat, nisi societatem eorum sectatus fuerit, *arg. Nov. 22. cap. 15. §. 1.* ibi: *latrocinii sectantem vitam*, & §. 2. ibi: *faventem latronibus.* Add. *l. 39. §. 4. ad L. Jul. de adult. item Colleg. Argent. lib. 28. tit. 2. th. 26. Lud. Molina Tom. 1. de Justit. & Jur. disput. 176. n. 4.*

§. XI.

1. Sufficit ad exheredandum conatus parricidii.
2. Lex 14. ff. ad L. Cornel. de sicar. in maleficiis voluntas spectatur, non exitus; quomodo intelligenda?
3. Locum tantùm habet in atrocioribus delictis, non in levioribus.
4. Explicatur l. 16. §. 8. ff. de pœn.
5. Sola delicti cogitatio de jure civili non meretur pœnam.
6. Nisi illa in actum aliquem externum eruperit.
7. Idq; etiam in hâc causâ obtinet.
8. Venenô utplurimùm hominibus insidiæ parantur.
9. Exempla quædam ad hanc Causam pertinentia adducuntur.

Imper. Verba:

V. VEl vitæ parentum suorum per venenum, aut aliô modô insidiari tentaverit.

K. Tentaverit, † ait Imperator. Satis igitur causæ ad exhere-

exheredandum filium pater habebit, si paraverit is venenum, aut aliud quid fecerit, quod ad nefandum illud parricidii crimen agendum erat. Sufficit hîc *conatus maleficii*, licet effectum suum nondum habuerit. *Puta*, si pater vel mater deprehensô dolô abstinuerint potione, aut eâ secutâ medicamentô venenum abegerint; aut finge, insidias parenti patefactas fuisse, ita ut ejus diligentiâ mors fuerit impedita. Nam & *L. Pompejâ* tenetur, qui emit venenum, ut patri daret, quamvis non potuerit dare, *l. 1. in fin ff. ad l. Pompej. de parricid.* Tantum enim fecit, quantum potuit, neque per ipsum, qui parricidium committere intendebat, stetit, ut exitu suô caruerit flagitium. † *In maleficiis* autem *voluntas*, (id est, *conatus*, 2.
ne intelligas *nudam cogitationem*, sed *voluntatem factô aliquô turpi jàm declaratam*) *non exitus spectatur*, ut D. Hadrianus rescripsit, *l. 14. ff. ad L. Cornel. de sicar.* Objicis *l. 16. §. 8. ff. de pœn.* ubi Claudius Saturninus contrarium scribit: *quòd scil. in maleficiis eventus spectetur.* Resp. (1.) Antè dicta Hadriani regula, (quòd in maleficiis voluntas spectetur, non exitus, h. e. ut *Gœdd. ad l. 225. de V. S.* explicat, quòd etiam conatus maleficii, *licet exitu suô careat*, pœnæ subjiciatur) † locum tantùm habet *in atrocioribus delictis*, ut in 3.
crimine læsæ majestatis, *l. 5. pr. C. ad l. Jul. majest. l. 1. §. 1. ff. eôd.* assassinii, latrocinii in viis publicis, *l. 16. §. 8. vers. quanquam. ff. de pœn.* veneficii, *l. 3. pr. ff. ad L. Cornel. de sicar.* parricidii, *l. 1. in fin. ff. ad L. Pompej. de parricid.* Recessum autem est generali consuetudine ab istâ regulâ in furtis, stupris, injuriis & aliis levioribus, ut testatur *Clarus lib. 5. sent. recept. quæst. 92. n. 2.* De injuriis dubitari quis posset propter *l. 15. §. 1. ff. de injur.* ubi quis etiam propter minas injuriarum adeoque solum injuriandi conatum actione injuriarum tenetur. Resp. Tenetur actione, sed utili tantùm, adeoque rectè adhuc monet *Clarus d. l.* in conatibus talium delictorum leviorum cessare quidem pœnam ordinariam & graviorem, non tamen ideô prorsus esse impunes conatus istos, sed pro admissi qualitate extra ordinem à judice puniendos. (2.) Resp. JCtum † *in oppos.* 4.
l. 16. §. 8. ff. de pœn eventum non opponere *conatui*, quòd scil. eventus, non conatus spectetur in maleficiis; sed opponit eventum ibi *nudæ cogitationi*, quòd † illa delictum non contrahat, nec pœ- 5.
nam mereatur, *l. 18. ff. de pœn. can. 14. de pœnit. dist. 1. l. 53. §. 1. in*

fin. ff. de V.S. Cogitatio enim humana tantùm in mente est, & in corde consistit, de quâ tanquam de re ignotâ non judicat Prætor, Add. Gothofr. *ad d. l. 18. ff. de pœn. lit. r.* qui ibi distinguit inter *cogitationem nudam, simplicem, latentem in animô ac nemini detectam*, quæ uti ab hominibus ignoratur, ita ab iisdem puniri non potest: *& inter cogitationem signis vel factô quôdam declaratam*, quæ ob ipsũ illud factum vel conatum interdum punitur. Prior illa nuda & sola pravi cogitatio licet *coram tribunali Dei* pœnâ sit digna, *formatum tamen delictum* (furtum, adulterium) *non est*, quod ad nullum initium facti deductum est, *etiam in forô poli*. De jure tamen Canonicô etiam ob solam pravam concupiscentiam peccati quis accusatur, quod per pœnitentiam injunctam corrigitur, ejusque remissionem per canonicam istam satisfactionem consequitur, *Vide can. 24. c. 25. c. 27. c. 29. c. 30. c. 38. c. 41. c. 44. c. 53. c. 58. de pœnitent. dist. 1.* Jure igitur canonicô pro ejusmodi cogitationis peccatô pœna injungitur pœnitentialis, *dd. text.* de jure civili autem cogitatio non meretur pœnam, *can. 20. de pœnitent. dist. 1. d. l. 18. ff. de*
6. *pœn.* † Et hoc adeò verum est, ut sola cogitatio aut consilium mentis, *in nullam mali externi speciem* erumpens, etiam in crimine læsæ majestatis impunis sit, *Joh. Althus. Lib. 1. Dicæolog. cap. 131. n. 28. Gloss. ad l. 5. pr. C. ad l. Jul. majest. verb. eadem*, quam legem, ne obstet illa huic sententiæ, interpretatur Glossa d.l. de cogitatione, *quæ ad actum aliquem devenit*, i.e. quæ ad aliquod initium facti deducta est, v.g. quando quis sacramentum factionis jamtùm susceperit, aut scelestem factionem inierit, de quô *d. l. princ.* loquitur. Add. *Gœdd. ad l. 225. n. 6. de V.S. Carpzov. orbi notissimus JCtus,*
7. *prax. Crim. part. 1. q. 41. n. 4.* † Atque ita similiter, si quis filius nudè cogitaverit saltem de insidiis vitæ parentum struendis, *nec illud consilium in ullum facti probrosi initium deduxerit*, sed sponte cogitationes dereliquerit, aut istarum pœnituerit, nullam justam exheredationis causam nancisci patrem, si forsan turpes istas filii cogitationes expertus fuerit, asserere non hæsitamus. Et hôc sensu etiam admittimus, quôd scribit *Covarr. ad cap. Raynutius 16. de Testam. n. 13.* quôd si filius ante deprehensionem sponte pœnituerit,
8. ut ingratus exheredari non possit. † Ait Imperator: *per venenum* (Græc. tx. habet: *διὰ φαρμακείας, per veneficium*) *aut alió modô*. Ve-

neni

neni saltem expressam facit mentionem, quia nullum sceleſtibus hominibus magis familiare aut commodius remedium eſt, quô vitæ hominum inſidiantur, quàm venenum. †. Exempla ad cauſam noſtram pertinentia non deſunt. Sic *Nero* matri ter venenô inſidiatus dicitur, *Sueton. in vit. Ner. c. 33.* Romanus Jun. Imperatori Conſtantino patri, venenum parâſſe legitur. *Philo lib. 4. Chron. fol. 100.* Et Selymus Imper. Turcicus venenum patri propinavit, *Phil. lib. 5. Chron. de Bajaz. II.* Add. *Quintil. declam 17.* in quâ graviter & eleganter defendit filium quendam, quem pater in ſecretâ domûs parte invenit venenum parantem, adeoque à patre in ſui mortem id parari conjecturante, parricidii accuſatum. Addit Imperator: aut aliô modô. Baſilica habent: ἢ ἑτέρῳ τινὶ δυναμένῳ λάθρᾳ φονεῦσαι, vel quô alio, quod clam necare poſſit, *Tom. IV. edit. Fabrot. lib. 36. tit. 2. l. 1. §. 10. pag. 821.* puta magiâ & damnabili arte magicâ, ut explicat *Steph. ad h. Nov. n. 18.* Aut fingeſ quemcunque alium modum, qualem excogitare extremæ & deſperatæ malitiæ homini nunquam eſt difficile. Ordinationes regni Luſitaniæ *Libr. 4. tit. 72. § 8.* addunt inſuper huic cauſæ, ad incurrendam exheredationis pœnam ſatis eſſe, filium præbere *opem, conſilium aut conſenſum*, ut parenti venenum aut aliud malum medicamentum porrigatur, prout refert & probat *Lud. Molina Tom. I. de Juſt. & Jur. Tract. 2. diſp. 176 n. 5.* 9.

§. XII.

1. Cucurbitare quid ſignificet?
2. Attentatio pudicitiæ, quæ?
3. Turpis luſus, qui?
4. Conſuetudo cum novercâ inceſtuoſa.
5. Caracalla formâ novercæ ſuæ captus.
6. Filii cum novercâ aut concubinâ patris concubitus eôdem modô punitur.
7. Intereſt tamen, an ſcienter, an ignoranter filius eam petulentiam commiſerit.
8. Nihil intereſt, utrum noverca, vel concubina patris volentes an nolentes filium admiſerint.
9. Non obtinet exheredatio, ſi cum patris voluntate compreſſio fuerit facta.

Verba Imper.

VI. SI

VI. SI novercæ suæ, aut concubinæ patris, filius sese immiscuerit.

Feudistæ simili in causâ brevius dicunt: *si cucurbitaverit eum, l. Feud. 5.* † Vocabulum autem *cucurbitare* derivant Dd. 1. à voce Barbarâ *corbitâ*, quæ in LL. Longobardicis usurpatur pro *stuprô*, & inde *cucurbita* dicta uxor adulteriô infamis. *V. Consultiss. Dn. Schröterus in Comment. ad Consv. Feud. 1. Feud. 5.* Explicant autem Feudistæ verba: *si cucurbitaverit eum*, id est, *cum uxore ejus concubuerit, vel concumbere se exercuerit, aut cum eâ turpiter luserit.* 2. † Attentatio autem illa variis potest fieri modis, sic e.g. si uxorem alterius missis litteris amatoriis de adulteriô quis sollicitaverit, vel munusculorum illecebris aut blandâ oratione pudicitiam ejus expugnare attentârit. *Add. l. 15. §. 20. & 22. ff. de injur.* Aut cum 3. eâ turpiter luserit, † quem lusum *Cujac. ad d. 1. Feud. 5. Lombard. Hottom. & alii* interpretantur impudicas suaviationes, libidinosa oscula, manuum in sinum matronalem immissionem, aut ad pectus ejus, vel alium locum, unde turpitudo esse possit; *Add. Arum. Disp. Feud. 8. th. 3.* ibi: *quis lusum appellatet, unde crimina oriuntur?* Satis ita patet, quid Imperator per verbum immiscuerit hîc intelligat. Ait autem: novercæ suæ aut concubinæ patris. Si enim pater filium novercam adulterantem occidere potest, nec pœnam parricidii, sed aliam mitiorem sustinet, *l 5. ff. ad l. Pompej. de parricid.* quidni poterit eum ob hanc causam jure exheredare? 4. † Privigni cum novercâ consuetudo incestuosa, *l. 17. C. de nupt.* Ab hôc tamen nefandô crimine non abhorrebat *Ant. Baff Caracalla*, 7. † qui, cùm *Julia* ejus noverca, præsentiæ ipsius quasi ignara, corpus velamentô, animum pudore exueret, formâ novercæ suæ capiebatur adeò, ut libidine incensus exclamâret: *vellem, si liceret.* Julia multô petulantius cùm ipsi responderet: *libet? planè licet. an nescis te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere;* mox re secutâ illam pro uxore habebat, participemque Imperii faciebat. Refert historiam ex Dione & Spartianô *Cluver. Epit. Hist. pag. m. 315. in vitâ Carac.* Addit Imperator: aut concubinæ patris. Cùm enim concubinatus de jure civili Romanô licitus fuerit, *l. 1. tot. t. ff. de concub. Nov. 89.* (Intellige tamen *defi tente uxore, l. unic. C. de concub.*) hinc inter uxorem & concubinam de jure R. nihil

nihil ferè intererat, nisi respectus dignitatis, *l. 49. §. parvi. ff. de legat. 3.* adeoque † si filius concubinæ patris sui (à patre domi re- 6.
tentæ, *Covarruv. in prælimin. ad cap. Raynutius. X. de Testam. n. 14.*)
sese immiscuerat, perinde habebatur, ac si novercam suam aut
uxorem patris vitiâsset, atque sic eôdem modô ista filii petulantia exheredatione puniri poterat. Confer hîc exempla, quæ in
S. Codice proponuntur, Rubeni filii Jacobi, *Gen. 35. v. 22.* qui ideò
à patre, quòd concubinam ejus violarit, maledictus est, *Gen. 49. v. 4.*
Absolonis, Davidis filii, 2. *Sam. 16. v. 22.* qui paulò pòst morte ignominiosâ periit, *ibid. c. 18. v. 15.* Distingvit † tamen *Covarruv. in* 7.
prælimin. ad cap. Raynutius. 16. de Testam. n. 14. num filius *scienter*
id crimen commiserit, num *ignoranter*, credens illam fœminam,
cum quâ rem habet, non esse nec uxorem nec patris concubinam,
e.g. si eam in lupanari meretriciâ veste indutam invenerit. Quô
posteriori casu non esse exheredandum filium, opinatur. Quam
distinctionem etiam innuit *Stephan. ad h. Nov. 115. n. 18.* verb. *sciens istius personæ qualitatem.* Eamq; distinctionem etiam nos probamus. Nam licet aliàs in his, quæ de se sunt mala & illicita, ignorantia delinquentem à pœnâ jure communi statutâ non liberet omninò; ignorantia tamen qualitatis (quæ aggravat præter jus
commune ipsum delictum) pœnam illius qualitatis causâ statutam auffert; *cap. 4.* ibi: *dummodo ipsum esse Clericum ignoraverit. X. de sentent. excommun.* † Nihil autem interesse putamus, ut fi- 8.
lius à patre exheredari possit, utrum noverca vel patris concubina
volentes an *nolentes* illum admiserint, utroque enim casu patri fit
injuria, *l. 1. §. 5. ff. de injur.* † Si autem *cum patris voluntate* com 9.
pressio fuerit facta, exheredari filius non potest, quippe qui volenti
nullam intulit injuriam, *d. l. 1. §. 5. ff. de injur. l. 34. C. de transact. l. 3. §. 5. ff. de hom. lib. exh. l. 11. ff. si quid in fraud. patron. l. 145. ff. de R. J. c. 27. de Reg. Jur. in 6.* Ordinationes regni Lusitaniæ *Lib. 4. tit. 72. §. 10.* idem, quod hîc Imper. de *filio* statuit, disponunt
etiam de *filiâ*, quæ cum marito matris (*vitricô*) aut eô, cujus
mater esset concubina patris domi retenta, rem habe-
ret; referente *Lud. Molina Tom. 1. de Just. & Jur. Tract. 2. disp. 176. n. 6.*

§. XIII.

1. Delator propriè quis?
2. Delator, accusator.
3. Συκοφάντης quis & unde?
4. Filius patrem deferens potest exheredari.
5. Etiamsi justè eum accusaverit vel detulerit.
6. Objectio resolvitur.
7. Quid obtineat, si filius patri aliter, quàm per delationem dispendium inferat.

Verba Imperat.

VII. SI delator contra parentes filius extiterit, & per suam delationem gravia eos dispendia fecerit sustinere.

1. Delator † *propriè* dicitur, qui rem ad fiscum pertinentem, eidem consequendi præmii causâ ultrò denunciat, *tot. tit. C. de delator.* Puta e g. qui bona caduca, ereptitia, vacantia, commissa, vaga mancipia, tacita fideicommissa, thesauri inventionem nuntiat, *Cujac. ad rubr. C. d. t.* adeoque ejusmodi delatores execrabiles semper fuerunt, *l. 4. C. d. t.* & graviter puniti, *l. 5. C. d. t. can. 5. C. V. q. 6.* Imò & ipsum eorum nomen turpe est, adeò ut injuriarum teneatur, qui aliquem *delatorem* appellat, *l. 3. C. de injur.* Dicuntur etiam nunciatores, *d. l. 3.* qui invidiâ produnt alios, *can. 5. C. 5 q. 6.* & regulariter ab accusatoribus distinguuntur, *l. 3. C. de malefic. &*
2. *math.* † Nonnunquam tamen & delatores dicuntur *quicunq; accusatores, l. 20. C. de his qui accus. non poss. l. 15. pr. l. 18. §. 8. ff. de jur. fisc.* Et ita etiam hîc *delatorem* pro *occultô accusatore* Justin. accipere videtur. Græci in *Basilicis* hîc habent: Ἐι συκοφάντης καὶ ἀπὸ τῶν γονέων ὁ υἱὸς γένηται, *Tom. IV. edit. Fabrot. lib. 35. tit. 8. pag. 785.*
3. † Συκοφάντης dicitur ex σῦκον, *ficus*, & φαίνω, *in lucem profero, indico*; quasi dicas: *deferens ac indicans illos, qui ficus ex Atticâ exportârent.* Prohibitum enim erat apud Athenienses, exportare ficus, utpote qui hunc arborem in summô haberent pretiô. Hinc *sycophantæ* appellari cœperunt omnes ii, qui ut aliquid pecuniæ corradant, in judicium protrahunt alios, reosque faciunt leviſſimis de causis, ut docent *Aristophanes & Festus*, qui & alias etymi hujus
4. afferunt rationes. † Filius igitur talis delator vel accusator (intellige

tellige *in causis civilibus & pecuniariis*, (de causis enim capitalibus disposuit Imperator in causâ 3.) contra parentes existens, si quidè per istam delationem gravia *fortunarum* (de dispendiô enim in bonis corporis in tertiâ causâ dictum, *Lud. Molina Tom. I. de Just. & Jur. Tract. 2. disp. 176. n. 7.*) sustinuerint dispendia, rectè & justè exheredatur. & ob eandem causam jure etiam antiquiori pater talem filium, qui eum detulerat, non tenebatur alere, *l. 5. §. 11. ff. de agnosc. & alend. lib.* Unde *Bartolus* dixit: ex quibus causis potest parens filium exheredare, ex iisdem potest ei denegare alimenta & dotem. *Gothofr. ad d. l. 5. §. 11. lit. p.* Ait autem Imperator: & per suam delationem gravia eos dispendia (Basilica: βαρείας ζημίας, gravia damna, jacturas) fecerit sustinere. Patet hinc, † quòd etiam filius exheredari possit, etiamsi *justè* patrem accusaverit; grave enim dispendium vix sustinebit, nisi justè fuerit accusatus. 5. Falsæ etenim & injustæ accusationis effectus nullus est, nisi judex dolô malô quid iniquè decreverit, aut in fraudem legis vel ex gratiâ vel inimicitiâ vel etiam aliis sordibus sententiam dixerit, *l. 15. §. 1. ff. de judic. Arum. Disp. Feud. 8. th. 14.* Nec † pro defensione filii aliquid facit, si dicas, quòd si justè & verè, non falsò, patrem accusârit, nihil sit, cur pœnâ exheredationis dignus dicatur, cùm Reipublicæ interfit, delicta manifestari, *l. 18. pr. ff. de injur.* & ignoscendum sit liberis, qui non sponte, *l. 14. §. 10. ff. de bon. lib.* sed amore Reipublicæ quasi coacti patres accusârunt, ne delicta maneant impunita, *l. 14. C. de pœn.* Resp. Ea omnia facilè evertit arctissimum pietatis & amoris, quô liberi cum parentibus constringuntur, vinculum. Et nihil magis convenit filio, quàm dedecus & infamiam parentis omnibus modis occultare ac tegere, multò minus eam manifestare, nuntiare ac deferre debet. Nulla etiam est consequentia: *Publicè interest, delicta puniri ac manifestari. E. à filiô debent manifestari.* Nam filium hoc *ne quidem* facere *posse* (non dicam *non debere*) credendum est, quia id factum læderet pietatem, existimationem, verecundiam ejus & bonos mores, *l. 15. ff. de condit. instit.* † Quid autem obtinebit, si filius patri *aliter, quàm per delationem* grave fortunarum dispendium inferat? Textus utrumque conjungit; vix ergò delatio absque dispendiô, nec dispendium absque delatione ad exheredationem sufficiet. 7. Quantum autem

hoc dispendium esse debeat, judicis arbitrio relinquit *Covarruv. in prælim. ad c. Raynutius. X. de Testament. n.* 14. Etenim ea, quæ certô jure definita non sunt, censeri relicta arbitrio judicis, generalis sententia est, *per txx. in l.* 1. *§.* 2. *ff. de jur. delib. l.* 1. *§.* 1. *ff. de effract. & expil. cap.* 4. *in fin. X. de offic. & potest. jud. deleg. cap. fin. in fin. X. de transact.* Add. Canis. *ad cap. ult. X. de Donat. n.* 11.

§. XIV.

1. Carcer, mala mansio.
2. Carcer alius temporalis, alius perpetuus.
3. Parentem s. huic s. illi inclusum liberi grati liberare anniti debêt.
4. Filiæ cujusdam in patrem captivum pietas.
5. Aliûs filiæ erga matrem captivâ amor similis.
6. Cimonis cujusdam erga patrem in carcere mortuum religio.
7. Liberi pro parente in carcerem conjectô fidejubere tenentur. illud si omittunt, exheredationis pœnâ digni.
8. Si tamen ad id à patre rogati auxilium denegârint.
9. Ac fuerint ad fidejubendum idonei.
10. Fœminæ igitur hûc non pertinent.
11. Tàm pro personâ patris, quàm pro debitô ejus filius fidejubere tenetur.

Verba Imper.

VIII. SI quemlibet de prædictis parentibus inclusum esse contigerit, & liberi, qui possunt ab intestatô ad successionem ejus venire, petiti ab eô, vel unus ex his, in suâ eum noluerit fidejussione suscipere, vel pro personâ, vel pro debitô, in quantum esse, qui petitur, probatur idoneus. Hoc tamen, quod de fidejussione censuimus, ad masculos tantummodò liberos volumus pertinere.

1. Ait † Imperator: *Si parentem inclusum esse contigerit.* Supple, *carceri,* (cum Stephanô *ad h. N. n.* 18. & Fabrotô, qui in *Basilicorum* versione Latinâ ita hîc legit: *Si contigerit, ut alteruter ex parentibus in carcerem detruderetur, lib.* 35. *tit.* 8. *p. m.* 785.) loco squalido ac deformi, in quô vinculis constricti rei privantur auræ communis hausiu ac lucis aspectu, *l.* 23. *C. de pœn.* unde *mala mansio* à Scripto-

Scriptoribus communiter vocatur, licet illud nomen propriè notet quæstionis sive torturæ speciem, *l.* 15. §. 41. *ff. de injur.* Add. *Gothofr. ad l. 7. ff. depos. lit. n.* † Loqui autem videtur Imperator 2.
hîc de *temporalibus* tantùm carceribus, non de *perpetuis*. Hi enim (die ewigen Gefängnüsse) *juri Civili* ignoti & prohibiti sunt, *l.* 35. *ff. de pœn.* ibi: *Mandatis principalibus, quæ Præsidibus dantur, cavetur, ne quis perpetuis vinculis damnetur.* Et *l.* 6. *C. de pœn.* ibi: *incredibile est, quod allegas, liberum hominem, ut vinculis perpetuis contineretur, esse damnatum. Hoc enim vix in solâ servili conditione procedere potest.* Procedere verò in servis, patet ex *l.* 10. *C. eôd.* ibi: *perpetuò vinctus esse debet.* Add. Cujac. *lib.* 14. *Observ. c.* 34. De jure Canonicô autem pœna *carceris perpetui* non improbatur, prout liquet ex *cap. quamvis* 3. *de Pœn. in* 6to. Hodiè etiam in quibusdam Imperii locis carcer perpetuus adhuc est in usu, & *capitali pœnæ* æquiparatur à Carolô V. in P. H. O. art. 10. ibi: zum Tode oder ewiger Gefängnüß. & art. 101. die nicht zum Tode oder ewiger Gefängnüß. Ita & Facultas Juridica Wittebergensis Anno 1645. pronunciavit: So wird der Thäter der ordentlichen Lebensstraffe nicht unbillich verschonet, nichts destoweniger aber mit ewigen Gefängnüß uff seine Unkosten sich zu enthalten beleget und gestraffet. † Sive igitur 3.
tali carceri *perpetuo* parentem inclusum esse contigerit, sive carceri *temporali*, quô de propriè hîc Imper. loquitur, non dubitandum, quin ex parte liberorum sit, si *grati* velint vocari, omnem movere lapidem, quô patrem ex miserô illô servitutis ergastulô, si modò spes liberationis ulla supersit, liberent, aut saltem, quocunque modô possunt, eum juvent, aut ejus leniant malam mansionem. † Circumfertur filiæ cujusdam erga patrem suum captivum pietas. Filia illa (*Pero* dicta) patrem (*Cimona*) in carcerem conjectum, jàm ultimæ senectutis infantem, pectori suo admotum uberibo aluisse, ejusque mitigâsse in carcere famem traditur, *Val. Max. lib.* 5. *cap.* 4. *n.* 13. ubi & *n.* 11. † aliud filiæ aliûs refert exemplum, quæ matrem 4. 5.
suam, consimili fortunâ affectam & pari custodiæ inclusam, exertô clàm ubere, lactis subsidiô sustentavit. *Utraq; sic extitit mater & filia alterius.* Hærent ac stupent hominum oculi, cùm horum factorum pictas vident imagines, casusque antiqui conditionem, præsentis spectaculi admiratione renovant. † Idem Val. Max. 6.

d. lib. 5. s. 4 n. 13. de Cimone quôdam refert, quôd is, cùm patrem in carcerem dejectum, vivum liberare non potuerit, eum in carcere mortuum, translatis in se vinculis ad sepulturam redemerit. Ait Imperator: in suâ eum noluerit fidejussione suscipere.

7. † Quamvis enim regulariter filius æs patris alienum exsolvere cogi non possit, *l. 5. §. 16. ff. de agnosc. & alend. liber.* nec debiti paterni causâ conveniri queat, *l. 4. C. ne fil. pro patr.* pro parente tamen in carcerem conjectô ex singulari pietatis & amoris ratione fidejubere tenetur, *rogatus* præprimis à patre. † Ait enim Imperator hîc

8. amplius: petiti ab eô. Inde inferre possumus, ad hanc exheredationis causam justificandam necesse esse, auxilium fuisse petitum & tamen denegatum. *V. D. Andr. Gerh. Patruus meus desideratissimus, Diss. de Testam. 5. th. 32.* Si enim calamitatis paternæ ob longa forsan locorum intervalla ignari sint filii, excusandi sunt, fidejussionem pro patre incarceratô intermittentes, nec exheredationis

9. fulmen ipsis imminebit. † Addit & Imperator: *in quantum esse, qui petitur, probatur idoneus.* Idoneus autem fidejussor non tantùm dicitur ex facultatibus, sed etiam ex conveniendi facilitate, *l. 2. pr. ff. qui satisd. cog.* Add. *Schnobel Diss. 23. ad ff. th. 4. Hilliger Lib. 23. Donell. enucl. cap. 9. lit. m.* Idoneus autem non est, qui obligari non potest aut conveniri, *l. 3. pr. ff. de fidejuss. & mandat.* puta, si filius forsan sit pupillus, *l. 8. §. 1. ff. qui satisd. cog. l. 31. C. de locat. cond.* aut alia persona, quæ ad fidejubendum est inidonea aut prohibita. *V. Schnob. d. l.* Ideoq; rectè etiam Imperator restringit hanc exheredationis

10. causam ad liberos *masculos*, † cùm fœminæ ad fidejubendum aut pro aliô intercedendum idoneæ non sint, imò seriò fidejubere prohibeantur, *l. 1. pr. & l. 2. pr. ff. ad SCt. Vellej.* cùm id *civile sit officium* (quale fœminis ademtum, *d. l. 1.*) *& in eô periculum sit rei familiaris, d. l. 1. §. 1.* Tandem ait Imperator: Vel pro per-

11. sonâ vel pro debito. † Patet hinc, quòd fidejussione suâ filius liberare teneatur patrem non tantùm ob æs alienum aut debitum pecuniarium, sed & ob delictum aut aliam causam incarceratum, *Steph. h. n. 18.* si modò sub fidejussoribus custodia relaxari possit. Quid si *totus obæratus* sit pater, an etiam tunc pro eô fidejubere filius tenebitur? imò teneri eum dicimus *propter pietatem naturalē*, licet *non propter metum exheredationis*, qui vanus & inanis ab eô, qui totus est obæratus.

§. XV.

§. XV.

1. Filius parentem, ne testamentū condat, aut mutet, s. vi s. metu prohibens, sive dolô malô impediens, exheredatione puniri potest.
2. Secus, si blanditiis.
3. Testamenti factio libera esse debet.
4. Quid obtineat, si parentes in ipsâ prohibitione decesserint, nec filium ex hâc causâ exheredaverint.
5. Quid in legatis & fideicommissis obtineat, relictis in testamentô, quod mutare testatorem filius prohibuit.

Verba Imperat.

IX. SI convictus fuerit aliquis liberorum ex eô, quia prohibuerit parentes suos condere testamentum; ut si quidem posteà facere potuerint testamētum, sit eis pro tali causâ filium exheredandi licentia. Si autem &c. Ait † Imperator: Condere testamentum (adde vel mutare, *l. 1. pr. ff. si quis aliqu. test. prob. l. 19. ff. de his quæ ut indign. auf.*) prohibuerit. Intellige sive dolô malô *l. 2. pr. ff. si quis al. test. prob.* (qui ex qualitate facti, *l. 1. §. 2. ff. de dol. except.* aut indiciis perspicuis probabitur, *l. 6. C. de dol. mal.*) impediendo e. g. tabellionem aut testes, ne accedant ad testatorem, *Lud. Molina Tom. 1. de just. & jur. disp. 176. n. 9.* Add. *l. 2. pr. ff. si quis al. test. prohibuer.* sive vi, *l. 1. C. si quis al. test. prob. l. 1. pr. l. fin. ff. eôd.* sive metu aut minis, sive violentis persuasionibus, immodicè enim persuadere est plus quàm compellere atque cogere aliquem sibi parere, *l. 1. §. 3. de serv. corrupt.* De quibus omnibus casibus latè tractat *Magnif. Dn. Carpz. part. 2. const. 5. defin. 8. 9. 10. & seqq.* † Secus est, si blanditiis amicabilibus liberi nimia forsan legata aut fideicommissa timentes prohibuerint parentes suos condere testamentum, aut conditum revocare aut mutare sollicitaverint; illud enim non est criminosum, *arg. l. fin. C. si quis al. test. prohib. l. fin. ff. eôd. l. 70. ff. de hered. inst.* secundum quas ll. etiam à Scabinis Lipsiensibus *in causâ Caspari* Schindlers *& consort.* zu Colditz / Mens. Dec. An. 1633. responsum fuit: Daß solche Verordnung zu recht beständig/und möchte dahero/daß die Testiterin von Schildens Ehe-

1.

2.

weibe

he weibe als der eingesatzten Erbin durch liebkosende Wort hierzu veranlasset und überredet worden/beständiger Weise nicht gefochten noch hinterzogen werden. *Magn. Dn. Carpz. d. part. 3. const. 5. def. 7.* Priori autem casu, quando scil. parentes dolô aut vi à filiis prohibiti seu impediti fuerunt testamentum ordinare, & posteà facere possunt testamentum, est eis pro tali causâ filios exheredandi, legitima licentia, *h. n. N. & l. 23. C. de inoff. testam.* ibi: *justam*
3. *causam offensæ manifestè testamini.* † Cùm enim libera testamenti factio publici juris sit, & ab ipsis ll. concessa, *l. 3. ff. qui testam. fac. poss.* & nihil magis debeatur hominibus, quàm ut liber sit supremæ voluntatis stylus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium. *l. 1. C. de sacros. Eccles.* justè omninò parentes faciunt, si liberos, qui ipsis hanc liberam testandi facultatem auferri conati sunt, propter illam injuriam exheredatione puniunt, cùm justam h. c. habeant
4. offensæ causam, *d. l. 23. C. de inoff. testam.* † Si autem in ipsâ prohibitione aliquis ex parentibus decesserit, & filium ex hâc causâ non exheredaverit, utpote quia postea ei nunquam contigit facere testamentum; illos casus *secundum alias leges super his positas* terminari jubet hîc Imperator. Quæ leges quid dispoſuerint, videndum. Et placuit, istô casu filio de prohibitione convicto auferri hereditatem qs. indigno, & fisco vindicari, *l. 19. pr. ff. de his, quæ ut indign. auf. l. 1. pr. ff. si quis al. test. prohib. l. 2. C. eôd. l. 3. §. 5. in fin. ff. ad SCtum Trebell.* Si duo sint filii, unius factum alteri non nocet, *l. 2. §. 1. ff. si quis al. test.* adeoque pars tantùm ejus, qui prohibuit, fisco vindicatur; pars servatur ei, qui non prohibuit. *Cujac. in expos. Nov. 18. part. 1.* Si unus sit filius, assem totum sibi vendicat
5. fiscus. *Eberh. Speckhan Cent. 1. Quæst. Jur. q. 95. n. 10.* † Si autem pater in testamentô, quod ipsum mutare filius vi prohibuit, legata quibusdam aut fideicommissa reliquerit, hereditate ad fiscum delatâ fiscus legata & fideicommissa legatariis & fideicommissariis restituere tenetur; testamentum enim tantùm quoad institutionem heredis tq. indigno factam invalidum redditur, quoad legata autem & alia capitula salvum manet. Sicuti etiam, si tota hereditas fidei filii (qui patrem testamentum conditum mutare dolô aut vi prohibuit) commissa fuerit, ut eam alii restitueret, *l. 2. §. 2. ff. si quis aliqv. test.* hereditate fisco vindicatâ quartæ tantùm Falcidiæ com-

commodum (quod filius aliàs fideicommissô universali gravatus deduxisset)ad fiscum pertinet,dodrantem autem fideicommissario heredi fiscus restituere tenetur, *l.3. §.5. in fin. ff. ad SCtum Trebell. l. 2. §. 2. ff. si quis aliqv. test.* Malè autem hîc Dd. quidam cum Accurs. putant, eum etiam, cui testari prohibitus & intestatò defunctus legatum aut fideicommissum relicturus erat,habere petitionem legati aut fideicommissi adversus fiscum, quia nulla est legati & fideicommissi petitio ex imperfectâ voluntate, *l. 29. pr. ff. qui testam. fac. poss.*

§. XVI.

1. Arenarii, bestiarii qui?
2. Alii ob delicta ad bestias damnabantur, alii sponte quæstûs gratiâ in arenam descendebant.
3. Mimi qui?
4. Pantomimi,archimimi,chironomi.
5. Mulieres mimæ.
6. Mimi & arenarii hodierni.
7. Filius mimus aut arenarius potest exheredari à patre.
8. Ratio.
9. Qui quæstûs causâ in certamina aut scenam prodeunt,infamiâ notantur.
10. Secus,si virtutis suæ ostendendæ gratiâ.
11. Ut Studiosi scenas peragentes.
12. Conciliantur l. 3. ff. de his qui not. inf. & l. 1. §. 6. ff. de postul.
13. Filius mimus non exheredatus ab intestatô succedit.
14. Nec potest justè exheredari, si turpem istam & mimicam vitam vivere desistat.
15. Aut si parentes ejusdem forsitan professionis fuerint.

Verba Imper.

X. SI præter voluntatem parentum inter arenarios vel mimos sese filius sociaverit, & in hâc professione permanserit: nisi forsitan etiam parentes ejusdem professionis fuerint.

In Basilicis legitur : μελαξὺ κυνηγῶν ἢ μίμων, Tom. IV. edit. Fabrot. lib. 35. tit. 8. pag. 786. Κυνηγὸς propriè *venatorem* significat,aut secundum literam, *canum ductorem.* Hîc *arenarium* denotat,nam & arenarii cum bestiis depugnando eas quasi *venabantur.* † Qui autem *arenarii*,qui *mimi* Romanis dicti, opus erit,ut inquiramus. *Arenarios* dicebant,qui in arenâ cum bestiis depu- 1.

gnabant, *l. 1. §. 1. in fin. ff. de ædil. edict.* unde & *bestiarios* illos vocabant, *Vid. Sen. epist. 70. in med.* ibi: *nuper in ludo bestiariorum.* & *lib. 2. de Benef. cap. 19.* Cicer. *orat. 32. pro P. Sext. edit. Gothofr. fol. 679.* ibi: *unus leo, ducenti bestiarii;* & *orat. 33. in Vatic. in fin. fol. 692.* ibi Gothofr. in marg. *bestiarii, qui in ludis publicis cum bestiis pugnabant.* Claudianus illos vocat *audaces* in versu:

Audaces ligat ipsa viros, qui colla ferarum
Arte ligent certoq; premant venabula nisu.

Et ob hanc extremam audaciam dicebantur etiam καταδεδλοι, *dejectores*, ἀναιρεται, *interfectores*. Add. *Gothofr. not. ad l. 3. §. 5. verb. ad*
2. *bestias. ff. de testib. Et Sichard. ad l. 11. C. de inoff. testam. n. 3.* † Alii autem in arenam ob delicta damnabantur, alii suâ sponte prodibant, *d. l. 11. C. de inoff. testam.* Et satis patet, Imperatorem nostrum hîc de *spontaneis* tantùm loqui arenariis, qui quæstûs saltem gratiâ in arenam ad bestias descendebant, & spectaculum sui faciebant; *non de iis*, qui per sententiam damnabantur ob delicta cum bestiis pugnare, qui statim ex latâ sententiâ & libertatem & civitatem amittebant, licet nondum depugnâssent, modò ad eum usum reservarentur, *l. 29. ff. de pœn.* † *Mimi* dicebantur, qui artem ludicram
3. exercebant, *Sichard. ad auth. non licet. C. de lib. præter. n. 3.* vel ludorum faciendorum causâ in scenam publicè prodibant, *l. 2. §. ult. ff.*
4. *de his qui not. inf.* † Eorumque alii dicebantur *pantomimi*, παντῶν μιμοι, qs. *omnium imitatores*, effictores & imitatores aliarum omnium personarum in scenis. Gallus eos vocat *fols de Comedie*; Germanorum vulgus, Pickelhering. Et horum mentio fit in *l. 27. ff. de oper. libert. l. 43. in fin. ff. de act. emt. l. 4. C. de spect. & scen.* qui & *archimimi* dicuntur, *l. 25. §. 1. ff. de oper. libert.* Alii *chironomi*, qui taciti veluti præscriptis motibus & nutibus cum manuum gesticulatione saltabant, unde & *Chironomia*, saltatio gesticulatrix dicitur,
5. *V. Salmuth. ad Pancirol. lib. 1. Rer. memor. tit. 18.* † Mulieres etiam *mimas* in scenicis ludis fuisse adhibitas, ex *Cicerone* passim colligitur. Ita *in Philip. 2. edit. Gothofr. fol. 843.* inter quos, *inquit*, apertâ lecticâ, mima portabatur, quam -- non notô illô & mimicô nomine, sed Volumniam consalutabant. *Et paulò pòst:* Venisti Brundisium, in sinum quidem & complexum

plexum tuæ mimulæ. *Et in Philip. 13. fol. 931. Antonio delicias suas objiciens:* cùm in gremiis mimarum mentum mentemque deponeres. † Pro mimis istis & arenariis spontaneis 6.
hodiè habere possumus quoscunque vagabundos histriones, mercenarios ludiones, funambulos, circumforaneos saltatores, gladiatores, bestiarios (qui bestias in spectacula producunt) & alios id generis errones, qui tali professioni operam navant, & stipe redemti circumeunt exhibentes spectacula. † Quibus si quis filius 7.
contra patris sui voluntatem se associaverit, poterit à patre honestiori tq. indignus à successione removeri, quemadmodum Imper. hîc constituit; & id ante eum, etiam *Imperator Alexander* justum judicavit *l. 11. C. de inoff. testam.* † Ratio videtur fuisse, quia cùm &
tales mimi & arenarii ob extremam eorum nequitiam, avaritiam turpem, vitamque propudiosam Romanis maximo odio fierent, istos non modò communi civium honore carere volebant, & ab omnibus actibus legitimis removebant, (nec enim possunt postulare, *l. 1. §. 6. vers. & qui ff. de postul.* nec testari, *l. 3. §. 5. ff. de testib.*)
Sed & hereditate paternâ ipsos privari licentiam dabant. † Unde 9.
Impp. *in l. 4. C. de spectacul. lib. 11* istos vocant *viles & inhonestas personas.* Appositè Cicero: *Tene genui, alui, litterisq; instituendis curavi, ut ludio, ganio, histrioq; propudiosus fieres?* Imò *famosos* eos esse, Nerva & Pegasus responderunt, *l. 2. §. fin. ff. de his qui not.* † Se- 10.
cus autem statuendum de iis, qui *virtutis suæ ostendendæ gratiâ* in certamina aut scenam prodeunt, *sine ullâ mercede.* illi enim pro ignominiosis haberi nec possunt nec debent, *l. 1. §. 6. vers. deniq; ff. de postul. l. 4. ff. de his qui not. ant. infam.* Nam cùm bestiis pugnabant interdum Imperatores & milites generosiores, suæ virtutis specimen præbentes, quod testatur *Salmuth. ad Pancir. lib. 1. Rer. mem. tit. 18.* quis exinde istos nonglorioſos, nedum famosos factos esse dixerit? † Quod omninò etiam dicendum hodiè est de Aca- 11.
demicis & Studiosis, qui absque omni maculâ & notâ virtutis ac exercitii gratiâ scenas peragunt, ut per istas exercitationes alacres reddantur, in plurimorum præsentiâ loqui nõ erubescant, Magnatum non vereantur majestatem, (ob quam optumi sæpè obmutuerunt Oratores) vulgi petulantis murmur despicere, vocem vultumque moderari, affectus [illegible] & varias passiones regere di-

scant, humanitate & morum gravitate atque suavitate gratiosos populo se exhibeant. *Add. Gumpelshaimeri Gymnas. de Exercit. Acad. part. 4. sect. 2. n. 5. & seqq.* ubi latissimè ludorum scenicorum utilitatem demonstrat. Nec enim scenas peragentes propterea infamiâ notantur, *quia scenas peragunt*, quod per se exercitium honestum & Reipubl. utile, sed *quòd præmium à spectatoribus exigunt.* Et hinc expressè in *l. 3. ff. de his qui not. infam.* si quis operas suas locavit, ut prodiret artis ludicræ causâ, neque tamen prodiit, negatur illum notari, propterea *quòd non sit ea res adeò turpis, ut etiam consilium puniri debeat, d. l. 3.* Sed *dicis:* qui operas suas, ut cum bestiis pugnâret, locavit, infamis fit, etiamsi non pugnaverit, *l. 1. §. 6. vers. bestias autem. ff. de postul.* Cur tàm variè? Resp. † quia scil.
12. in arte ludicrâ factum ipsum requiritur, non etiam propositum, duntaxat nocet; In eô autem, qui cum bestiis pugnat, non tàm factum, quàm propositum intuetur. Proinde qui *quæstûs, non virtutis causâ*, vitam suam prostituit, & in summum discrimen adducit, quamvis cum bestiis non pugnârit, nihilo tamen minus *ob propositum turpe* infamis efficitur. *Rævard. lib. 3. varior. cap. 11. n. 3.* Si quis igitur pater testamentum facit, & habet talem filium turpem, mimum vel arenarium, poterit in eô justè eum exheredare. Si autem nullum fecerit testamentum, aut fecerit, sed in eô filium non ingratum nominârit, videtur condonâsse filio, *l. 30. vers. nam*
13. *si. C. de inoff. testam.* † Nec illa infamia filiæ vel filio obstat, quô minus possit petere partem suam ab intestatô, *l. 11. C. de inoff. testam.* Ex quô textu patet, quòd causa, quæ sufficit ad repellendum aliquem à successione testati, uti est hîc esse arenarium vel esse ludionem, ea non semper sufficiat ad repellendum aliquem à successione intestati; *Add. Sichard. ad d. l 11. C. de inoff. test.* Addit autem Imperator hîc exceptionem duplicem, ubi exheredatio filii in hâc causa non habeat locum: Ait (1.) si in hâc professione
14. permanserit. † Si enim vivô patre filius desistat, turpem istam vivere vitam, deque antè actâ pœniteat, & meliores induat mores, nô poterit illum pater ob antè actam vitam exheredare. Facit huc apprimè *pulcerrima l. 23. §. 1. C. de Nupt.* ibi: *mulieres, quæ scenicis quidem ludis se se antè immiscuerunt, postea verò spretâ malâ conditione ad meliorem migravêre sententiam, & inhonestam professionem effugerunt*

gerunt &c. Et paulò pòst: *si derelictâ malâ & inhonestâ conversatione commodiorem vitam amplexæ fuerint.* Vide infrà §. *ult.* ubi de pœnitentiâ latius agimus. † Ait (2.) Imperator: nisi forsan et- 15.
iam parentes ejusdem professionis fuerint. Et hanc limitationem etiam addit Alexander *in d. l. 11. ibi: nisi & ipse similis conditionis sit. C. de inoff. testam.* quia dicitur communiter, turpitudinem non posse objici alteri, quâ ipse objiciens laboret. *V. Magnif. D.* Richter */ in nostrâ Salanâ Professor Publ. Cent. Reg. Jur. reg. 88. Add. l. 36. ff. de dol. mal.* Unde *Gloss. ad l. quoniam. 21. C. de hæret. & Man.* ad verb. *introduci:* Nil Judæus Judæo, nil Catilina Cethego. Ex quô inferunt plurimi Dd quòd infamis non possit in judiciô testi objicere infamiam; *Vid. Sichard. ad d. l. 11. C. de inoff. test.* Quamvis judex ex propriô suô officiô possit illum infamem testem repellere, *arg. l. 7. ff. de postul.* ubi qui prohibentur postulare, nec admittuntur, etiamsi partes patiantur istos postulare. Cæterùm quòd Imperator hîc disponit de mimô & arenariô filiô, quem pater, si & ipse ejus professionis sit, non possit legitimè exheredare; hoc Bartolus *ad d. l. 11. C. de inoff. test.* & Covarruv. *in prælim. ad cap. Rainutius. X. de Testam. n. 15.* etiam extendunt ad filiam meretricem, quòd & hanc mater, si & ipsa meretriciam agat vitam, non possit justè exheredare, quia laboret eôdem morbô, aut etiam fortè dederit causam morbo.

§. XVII.

1. De filiâ Imperator hîc disponit, non de filiô.
2. Duobus de casibus Imper. hic agit. Illorum primus explicatur.
3. Luxuriosam degere vitam quid hîc significet.
4. Meretricem quomodo faceta Glossa describat.
5. Filia matrimonium honestum renuens vitamque luxuriosam eligens justè exheredatur.
6. Explicatur l. 12. §. 1. ff. de sponsal.
7. Quid obtineat de jure Saxonicô?
8. Alter casus expenditur.
9. Filia annum 25. egressa impunè nubit sine parentum consensu.
10. Viro tamen libero & honesto, non infami ac turpi.
11. Quid in minore 25. ann. filiâ obtineat?
12. Eôdem modô distingvitur.
13. Covarruviæ distinctio reprobatur.

XI. SI alicui ex prædictis parentibus volenti suæ filiæ vel nepti maritum dare, & dotem secundum vires substantiæ suæ pro eâ præstare, illa nõ consenserit, sed luxuriosam degere vitam elegerit. Si verò &c.

1. De *filiâ* † Imperator hîc disponit. De *filio* igitur videtur res esse expedita, eum, sive major sit sive minor 25. annis, istam ob causam de jure civili exheredari non posse. Fœmininô enim sermone sexus masculinus neque proprietate neque per aliquam interpretationẽ continetur, *l. 81. pr. ff. de leg. 3. l. 45. pr. ff. de leg. 2.* ubi additur ratio: *quod exemplô pessimum sit, fœmininô vocabulô etiam masculos comprehendi.* Rationis rationem tradit Gœddeus *ad l. 1. ff.* 2. *de V. S. n. 61. & seqq.* quem vide. † Distinctè autem Imperator *duos* hîc decidit *casus:* (I.) Si parentibus volentibus filiam vel neptem matrimonio elocare, & dotem secundum vires substantiæ suæ pro eâ præstare, illa non consenserit, sed luxuriosam degere vitam elegerit, quòd tunc justè eam à successionis commodô removere possint. *Add. l. 19. C. de inoff. testam.* † Ait Imperator: 3. si luxuriosam degere vitam elegerit, hoc est, si turpiter & cum flagitiosâ fœditate vivere, *d. l. 19. C. de inoff. test.* aut *multorum libidini patere* maluerit, *can. 16. distinct. 34.* ita enim meretrix ibi describi- 4. tur. † quam descriptionem ridiculè explicat *Glossa* ibi ad verba: quæ multorum libidini patet, i. e. quæ admiserit plures quàm XXIII. millia hominum. Et magis facetè probat ibi istam explicationem per *can. disciplina. 9. dist. 45.* verb. *ite & redite de portâ usq; ad portam per medium castrorum, & occidat unusquisq; fratrem & amicum & proximum suum; ceciderunt q; in illô die quasi viginti tria millia hominum.* Bella herclè consequentia: *ceciderunt in illô die 23. millia hominum. E. meretrix est, quæ admisit plures quàm 23. millia hominum.* Nisi quis velit excusare Glossam cum *Stephanô Costâ*, JCto Papiensi, *in Tract. de Ludo n. 22.* scribente, Glossam *in d. c. vidua*, 16. loqui solùm *enunciativè*, & dicere, *quot appellatione multorum veniant.* Addit enim Glossa ibi: *Vel quæ admisit 40. cap. latores. 4. X. de Cler. excom.* ubi etiam per numerum cer-

certum *multi* intelliguntur. Probat etiam latè Costa d. l. quòd etiã *duo* possint dici *multi*, & quòd mulier possit dici meretrix, quæ admiserit *saltẽ duos quæstûs causâ*. quod etiam *Abb. Panorm. in cap. 12. X. de vitâ & hon. Cler. Matth. ab Afflictis, Lucas de Penna*, & plures alii statuunt, quos omnes egregiè errare evincit Covarruv. *Tom. I. part. 2. c. 8. §. 11. n. 4.* per *l. 43. §. 2 ff. de Ritu Nupt.* ibi: *quæ cum uno & altero pecuniâ accepta se commiscuit, non videtur palàm corpore quæstum facere.* Quicquid sit, id satis certũ est, Imperatorẽ hic in n. Nov. non loqui de filiâ cuidam *ex amore singulari* semel vel bis furtim sui copiam faciente; *Carpzov. part. 2. Prax. crim. q. 69. n. 69. Magn. Dn. Ungebaur Exercit. Just. 16. q. 10. in fin.* Sed de eâ (de quâ suprà dictum) quæ meretriciô more vivit, omnibus sese palàm prostituit, & corpore suô quæstum quærit, *l. 43. §. 1. & 6. ff. de R. N.* unde mulieres quæstuariæ, *d. l. 43. §. 7.* † Sed & præprimis de eâ agit Imperator, quæ matrimonium honestum à parentibus ipsi oblatum detrectat, vitamque talem luxuriosam eligit. *Carpzov. part. 2. Pr. Crim. q. 69. n. 70.* Et hanc legitimè à parentibus exheredari Imper. hîc permittit. † Nec obstat *l. 12. §. 1. ff. de sponsal.* ubi habetur: *quòd filia impunè detrectare possit nuptias à parente oblatas.* Add. *l. 18. C. de inoff. testam.* Speckhan *Cent. I. Quæst. Jur. q. 95. n. 12.* Resp. Verum hoc (1.) est, si indignum moribus vel turpem sponsum pater ei eligat, ut in ipsâ d. l. dicitur. (2.) si non propterea eas detrectet, ut luxuriosam vitam agere possit, de quô casu hîc sermo est. † De *jure Saxonicô* secus esse, statuunt Dd. communiter, & pro eâ sententiâ confirmandâ adducunt tx. *art. 5. lib. 1.* Landrecht *ibi:* Ein Weib mag mit Unkeuschheit ihres Leibes ihre weibliche Ehre krãncken / ihr Recht verleust sie aber damit nicht / noch ihr Erbe. quem tx. etiã pro communi Dd. opinione confirmandâ adducit *Eberh. Speckh. Cent. I. Quæst. Jur. q. 95. n. 14.* Verùm tamen hic textus *non de exheredatione*, sed *de successione solùm ab intestato* loqui videtur, & ita eum intellexit etiam *Gloss. Latin. ibid.* quòd scil. de juris hujus observantiâ filia luxuriosam & meretriciam vitam agens non amittat jus successionis ab intestatô. Et ibi in *Gloss. Germ.* redditur etiam hujus constitutionis ratio. Quid hodiernô usu hôc in casu obtineat, vide apud *Magnif. Dn. Carpzov. part. 2. Pr. Crim. q. 69. Matth. Coler. Decis. 175.* † (II.) Alter casus est, si usque ad 25. annorum.

norum ætatem pervenerit filia, & parentes distulerint eam marito copulare, & forsan ex hâc morâ contigerit in corpus suum eam peccare (semel intellige aut aliquoties, *clàm* tamen, non *palàm* ac flagitiosè. *l.* 19. *C. de inoff. test.*) ob id à parentibus exheredari non potest, *Imper. hîc vers. si verò.* Ratio, quia parentes ipsi videntur dedisse causam isti turpitudini, *Sichard. ad auth. non licet. C. de liber. præter. n.* 3. Non etenim parentes filiarum nuptias longius differre aut prohibere debent, *l.* 19. *ff. de R. N.* si famæ & castitati ipsarum consultum velint. Alioquin filia virô jam matura sexûs infirmitate aliquid dedecus si admittat, non suâ sed parentum culpâ id commisisse intelligitur, *Perez. ad tit. C. de dot. promiss. n.* 11. *Zoes. ff.*
9. *de lib. & posth. n.* 15. † Idem statuit Imperator, si filia post 25. annum parentibus maritum ipsi dare negligentibus sine consensu eorum nupserit, quòd illa ob id non possit jure exheredari. Quia pater tacitè facultatem nubendi videtur dedisse filiæ, protrahendo ejus nuptias in illud ll. definitum tempus, *Perez. d. l.* Et de filiâ majore 25. annis nullum est dubium, quòd illa legitimam ætatem egressa pro arbitriô impunè *maritum* (qui in eam gerat *maris ritus* eam carnaliter cognoscendo, *Gloss. in cap. vidua.* 16. *dist.* 34. *verb. maritus.*) sibi quærat, nec ob id à patre exheredari jure possit, *Im-*
10. *per. h.* † dummodo tamen marito *libero* se junxerit, *non servo*, nec enim id esse poterit absque gravi injuriâ parentum & familiæ dedecore, *si se servo junxerit.* Adde: *si & viro turpi, inhonesto, propudioso se junxerit*, qui dedecori sit tàm ipsi quàm parentibus, *l.* 3. §. 5. *ff. de bon. poss. contr. tabb.* Add. *Cuj. lib.* 3. *observ. cap.* 5. *Sichard. ad auth. non licet. C. de liber. præter. n.* 3. nam & tunc poterit de jure civili exheredari, per *d. l.* 3. §. 5. *ff. de bon. poss. contra tabb.* Libero autem & honesto si filia major 25. ann. à parentibus nubere prohibita (nam & is prohibere videtur, qui conditionem non quærit, *l.* 19. *ff. de R. N.*) præter eorum consensum nupserit, id ad
11. ingratitudinem ejus Imperator noluit imputare. † Sed de minore 25. ann. filiâ, *an & illa*, si sine consensu parentum *viro honesto* nubat, *à metu justæ exheredationis libera sit?* prolixam Dd. hîc & magnam (uti *Cujac.* 3. *obs.* 5. eam vocat) ingrediuntur disputationé. Et quidem quibusdam id negandum videtur, qui ex Nov. n. ita colligunt à contrariô sensu: *Filia non potest exheredari, si post quam paren-*

parentes distulerint eam marito copulare, & ea pervenerit ad 25. ætatis annum, postea sine consensu eorum nubat. E. potest exheredari, si ante 25. annum nubat, & parentum consensum omittat. Quomodo etiam Regis Galliæ Constitutione Annô 1556. sancitum est, ut mares ante annum 30. fœminæ ante 25. nuptiàs sine parentum auctoritate contrahentes, & donationibus in ipsos collatis, & legitimâ portione spoliari possint. prout refert *Hottomannus quæst. illustr. 9. in fin.* Verùm utut concedamus facilè, *in Galliâ* id ita quondam constitutum esse; de *jure* tamen *civili R.* idem obtinuisse nondum evictum. Nec obstat collectio opposita; cùm enim argumentum tale à contrariô sensu imbecille admodùm sit, si textus nõ loquatur *exclusivè*, secundum communem Dd. doctrinam, vix ita firmiter concludi videtur. *Consultiss. Dn. Struv. in Coll. pr. ad tit. Inst. de exhered. liber. in fin.* Accedit quòd hîc versic. *si verò usq;* (ex quô ita colligunt Dd.) in Codice Holoandri & aliis quibusdam Codicibus non reperiatur. † Atque in hôc casu (ut in quæst. dictum) si liberi *honestis & familiæ parentum dignis* nupserint, non *infamibus aut turpibus*, de jure civili exheredationem cessare, tradunt Dd. com. *Carpzov. Lib. 2. Jurispr. Consist. tit. 3. defin. 54. n. 6. Coras. 1. miscell. jur. civ. 17. n. 5. Cujac. 3. observ. 5. Perez. ad tit. de dot. promiss. n. 11. & ad tit. C. de liber. præter. n. 19. Schnobel. disp. 14. ad ff. th. 8. Gail. l. 2. obs. 95. n. 17.* Et ita etiam Canonistas comm. statuere, ex *Abb. Panormitano, Decio & Did. Covarruviâ* probat *Magnif. Dn. Ungebaur, in Explicat. cap. Raynutius. 16. de Testam. in præmiss.* Perperam Dissent. opponunt *l. 3. §. 5. ff. de bon. poss. contr. tabb.* in quâ dicitur, quòd si filius fœminam *sine consensu patris* sibi junxerit, satis causæ pater habeat ad irascendum non filio tantùm, sed & nepoti ex eâ conjunctione procreato, contra quem (patre ejus mortuô) avus possit jure suô uti, eumque exheredare. Resp. Loquitur lex de filio, qui contra consensum patris *ignominiosam* duxit uxorem, *quæ tàm ipsi quàm patri dedecori fuit, d. l.* & hôc casu filium jure civili exheredari posse, ultrò concedimus, quod etiam admittunt dd. Dd. *Cujac. 3. obs. 5. Gail. 2. obs. 95. n. 17. Schnobel. d. l.* Atque ita etiam hodiè liberos ob contemtum *parentum justum dissensum* exheredari validè posse, (*si e. g. se turpibus & infamibus personis junxerint*) plerisque in locis statuitur. Ita in provinciis Electoratûs Saxonici 12.

observatur, prout patet ex Ordinat. Ecclesiast. sub. tit. von Ehesachen §. und da sie hierüber / ibi: Und da sie hierüber und über beschehene Vermahnung und Verwarnunge wider ihrer Eltern Willen / straeks darauff verharren / und solch Ehegelöbnüß zu vollziehen andere Gelegenheit suchen würden: Sollen die Eltern ihnen mit etwas zu der Außstattung behülfflich zu seyn nicht verpflichtet / sondern vielmehr befugt / und ihnen hiermit nachgelassen seyn / solche ungehorsame Kinder biß auff den halben Theil ihrer gebührenden legitimæ, und **nach Gelegenheit der Ursachen ihres verweigerten** consensus gäntzlich zu enterben. Add. *Carpz. Lib. 2. Jurispr. Consist. Tit. 3. defin. 54.* Ita etiam in Nassau-Catzenelnbogischer Landordnung cap. 2. **Von den Ehegelöbnüssen / so ohne der Eltern** &c. §. 7. diserte sancitur: Hetten aber die Kinder / wider ihrer Väter Wissen und Willen / sich mit turpibus und infamibus, oder ohnehrlichen / bösen und schandlosen Personen verehlichet / und der Väter Rath nicht folgen wollen / so soll denselbigen hiemit / und in Krafft dieses / erlaubt seyn / dieselbe ihre ungehorsame Kinder **auch ihres natürlichen Kind- oder Pflicht-theils** zu enterben. Ratio harum Constitutionum consistit in fine exheredationis, quæ ob eum introducta est, ut injuria privata parentibus illata vindicetur, utque liberi parentes contemnentes debitamque ipsis observantiam denegantes coerceantur. At liberi, cùm parentum dissensum contemnunt, eisque inobedientes existunt, *turpemq; & infamem personam in familiam ipsorum intrudunt*, maximam omninò parentibus injuriam inferunt, *Carpz. d. l. defin. 54. n. 3.* & graviùs lædunt parentes, quàm si damnum pecuniarium aut grave fortunarum dispendium (per Caus. 7.) eos fecerint sustinere. *Arum. Exerc. 2. ad Instit. th. 11.* Distingvit Covarr. *part. 2. Epit. cap. 3. §. 8. n. 5.* quòd si liberi contrahant in facie Ecclesiæ, neque licitè neq; validè possint exheredari, *licet ante 25. ætatis annum* contra voluntatem parentum cum *indignis longeq; inferioribus* contrahant, quia qui ita permittente, adjuvante ac defendente Ecclesiâ in facie ipsius contraxerint, eos neque pater neque secularis Resp. punire possit. Quando autem liberi contrahant matrimonium clandestinè, fas esse Principibus secularibus, quasi adjuvando prohibitionem Ecclesiæ, pœnam exheredationis & alias statuere liberis, qui ita præter parentum

scien-

scientiam & voluntatem contraxerunt. † Verùm vix hæc *Covar-* 13.
ruvia doctrina subsistere potest. Etenim licet hoc ultrò largiamur, talia matrimonia in facie Ecclesiæ celebrata & copulâ carnali consummata esse valida; id tamen non efficit, ut liberi, parentes suos ita contemnentes, non possint idcircò à parentibus & Magistratibus *legitimæ privatione aut aliis pœnis*, quæ prudentis judicis arbitriô bono Reip. expedire videbuntur, justè puniri, ne similia flagitia metu pœnarum deinceps in Rep. fiant. Finge civiles Leges invalidas esse, & tàm filios quàm filias sine parentum autoritate contrahere posse omninò impunè, teneriqúe parentes, non secus dotare eas, quàm si ex ipsorum facultate nupsissent, nec minus succedere parentibus etiam invitis in integrâ legitimâ portione, quàm si ipsis debitam præstâssent obedientiam; & videbis, qualis in eâ parte non solùm secularis Reip. sed & ipsius Ecclesiæ facies futura sit, & quot mala, neces, seditiones, & scandala inde orientur.

§. XVIII.

1. Parentum furiosorum cura ad filios pertinet.
2. Dubium resolvitur.
3. Filius istam patris curam negligens, ab eô ad sanam mentem reversô exheredari potest.
4. Quid obtineat, si pater in ipsô furore decesserit.
5. De furiosô Justinianus disponit: sed & qui ægrotum, vulneratum, palude hærentem patrem deserit, exheredatione puniri potest.
6. Nec tamen quælibet levior desertio justa exheredandi causa.

Verba Imperat.

XII. SI quis de prædictis parentibus furiosus fuerit, & ejus liberi vel quidam ex his, aut liberis ei non existentibus alii ejus cognati, qui ab intestatô ad ejus hereditatem vocantur, obsequium ei & curam competentem non præbuerint. Siquidem â tali sanatus fuerit infirmitate, erit ei potestas, utrum velit negligentem filium vel filios aut cognatos, ingratum vel ingratos in suô scribere testamentô. Si autem &c.

Si quis † *de prædictis parentibus*, ait Imperator. Rectè in- 1.
telligit

telligit omnes adscendentes, nec solùm patrem aut paternos, sed & matrem & maternos. Nam & furiosæ matris curatio ad filium pertinet, ait *Ulpianus*, *l. 4. ff. de curat. furios.* qui ibi elegantem etiam addit rationem: *pietas enim parentibus, etsi inæqualis sit eorum potestas, æqua debebitur.* 2. † Sed de patre dubitare possis, quomodo ille dicatur esse in potestate curatoris filii, *l. 1 pr. in fin. ff. de curat. furios.* cùm liberi in patris furiosi potestate remaneant, *l. 8. pr. ff. de his qui sui vel al.* ut adeò pater furiosus in potestate liberorum esse non possit, quod & *Celsus* statuit, ob rationem: cùm indecorum sit patrem à filiô regi, *l. 12. §. 1. ff. de tutor. & curat. dat.* Respondemus: Potestatis verbum plura significat, *l. 215. ff. de V. S.* Tutela & cura species quædam sunt potestatis, §. 1. *Inst. de tutel. Sutholt. Diss. 3. Aphor. 39.* sed quæ ad caput ejus, qui in tutelâ vel curâ est, non pertinent, *d. §. 1. Inst. de tutel. verb. quæ in potestate non sunt* &c. patriâ scil. vel dominicâ. Pupillus enim & minor sunt *sui juris*, h. e. non sunt in manu & familiâ tutoris vel curatoris, sed non habent efficacem auctoritatem aut liberum consensum. Et verba illa (*vis & potestas*) in definitionibus tutelæ vel curæ nihil aliud significant, quàm *facultatem & jus pro auctoritate quid faciendi.* Et sic etiam intelligenda *d. l. 1. pr. ff. de curat. furios.* Curatio igitur *propriè dictam potestatem* non tribuit, sed filius curator *consiliô tantùm & operâ* tueri debet bona, corpus ac salutem patris furiosi, *l. 7. pr. ff. de curat. furios.* imò potiùs, ut Imperator hîc loquitur, obsequium patri furioso & curam competentem præbere tenetur. *Add. d. l. 12. §. 1. ff. de curat. & tut. dat.* Quæ fati infelicitas satis liberos ad com-
3. miserationem movere & potest & debet. † Si tamen illi parentem furiosum curare neglexerint, *si quidem à tali sanatus pater infirmitate & ad sanam mentem reversus fuerit*, potest eos ingratos in suô scribere testamentô, eisque hereditatem adimere & in extraneum
4. deferre. † *Si verò* pater *in ipsô furore decesserit* intestatus, aut testamentum quidé ante furorem fecerit, in quô liberos vel extraneum heredes scripserat, qui postea testatorem furore correptum non procurârunt, heredibus legitimis vel testamentario aufertur hereditas quasi indignis (non obstante illô testamentô ante furorem factô, illud enim quoad institutionem evacuatur, *h. §. 12. in fin.*) & applicatur *non fisco* (quod hîc est speciale, *contra l. 2. §. 1. l. 13. l. 14. ff. de his*

de his qv. ut indign. l. 32. §. fin. ff. de donat. inter vir. & ux. & alios tx. pl.) sed *extraneo*, si quis sit, qui pietate motus, neglectum parentem post attestationem (*denuntiationem*, Gloss. h. *Basilica*: *διαμαρτυρίαν*, *testificationem*, *denuntiationem*) liberis, cognatis, & aliis ab intestatô venientibus factam, in domum suam receperit, propriis sumtibus sustentârit, eique usque ad finem vitæ suæ obsequium & diligentiam exhibuerit, quemadmodum hæc *Imper. Justin.* hîc pleniſſimè tradit. † De *furiosô* Justinianus loquitur. Sed & 5.
illi, qui *ægrotum* non curat, pariter hereditas aufertur quasi indigno, *l. 3. ff. de his quæ ut indign. Cujac. ad Nov. 18. part. 1. Steph. ad h. N. 115. n. 18. Eberh. Speckhan Cent. I. Qv. Jur. q. 95. n. 16.* Si enim filius quis patrem *peste aut aliô morbô contagiosô* correptum domô ejecerit, nec ipse eum procurans, nec aliis eum commendans, nec quô poterat modô eum adjuvans, *l. 1. §. 3. C. de Latin. libert. toll.* si in viâ *vulneribus confectum aut palude hærentem* deseruerit, quis talem filium pietatis religionem violantem, non dignum judicabit, ut pœnæ exheredationis subjiciatur? *V. Magn. Frantzk. h. m. Comm. ad ff. de inoff. test. n. 78.* cùm & ex eâdem causâ dominium servi amittatur & jus patronatûs, *l. 1. §. 3. C. de latin. libert. toll.* Nec † tamen 6.
quamlibet leviorem desertionem justam dicimus exheredandi causam; sic nobis non contrarius est *Wesenbecius consil. 29. n. 54.* rejiciens illam exheredationis maternæ causam, quòd filius matrem eô tempore deseruerit, quô maritus ejus, filii vitricus, in captivitate fuerit. Cùm enim mater non expresserit, in quibus angustiis filius eam deseruerit, an in summâ & extremâ inopiâ, an in periculosâ ægritudine, an in mentis infirmitate eam dereliquerit, sed nimis generaliter modò dixerit, *quòd eam deseruerit*, nullam ferè causam expressisse videtur, *arg. l. 16. ff. de dol. mal.*

§. XIX.

1. Captum ab hostibus patrem liberi sub pœnâ exheredationis redimere tenentur,
2. Minores 18. annis excusantur.
3. Majores, redemtionem patris intermittentes, ingrati.
4. Pater tamen liberatus ab hostibus, in patriâ intestatus decedes, aut liberos in testamentô non ingratos nominans, ingratitudinem illis remisisse videtur.
5. Secus, si intestatus apud hostes decesserit.
6. Istô enim casu hereditas liberis

ut indignis auferrur, & Ecclesiæ applicatur.
7. Consilium Imperatoris, quomodo possint ac debeant liberi parentum procurare redemtionem.
8. Redemtio captivorum favorabilis.

Verba Imper.

XIII. SI unum de prædictis parentibus in captivitate detineri contigerit, & ejus liberi, sive omnes, sive unus, non festinaverint eum redimere. si quidem &c. Hanc autem pœnam contra illos valere jubemus, qui octavum & decimum suæ ætatis annum compleverint. In hujusmodi verò &c.

1. Captum † hîc intellige *ab hostibus*, cum *Cujac. in Expl. Nov.* 18. *part. 1. & Steph. ad h. Nov.* 115. *n.* 18. Atque ex tali servitute (e.g. Turcicâ) liberos parentum redemtionem omnibus modis adjuvare
2. & festinare, sub pœnâ exheredationis Imper. hîc jubet. † Ætati tamen minoris 18. annis ignoscit, *vers. hanc a. pœnam.* cùm is propter imbecillam ætatem redemtionem patris nec viribus nec consiliô procurare possit. Laudatur tamen *à Val. Max. l. 5. cap. 4. in fin.* Pinnensis Juvenis *Pulto*, quòd patrem captivum, & districtis militũ gladiis, jamjàm mortem ejus minitantibus, circumdatum, supra ætatem robore animi corporisque, è manibus hostium solus eripuerit, & ex præsentaneâ morte, simul ac captivitate redemerit. Armavit eum charitas & pietas, corque ipsius ære triplici roboravit. *Impii* autem sunt isti liberi (vix molliori *ingratorum* nomine digni) qui, *cùm possunt*, parentum liberationem ex captivitate non
3. omnibus modis quærunt. † Majores igitur 18. annis (de his enim liberis Imperatoris hæc constitutio loquitur) si parentem captivum redimere neglexerint, ac parens captivitatis calamitatem evaserit, justè ob eam impietatem & ingratitudinem à patre in testa-
4. mentô exheredari possunt. Quòd † si liberatus ab hostibus *in patriâ* moriatur pater, nec fecerit testamentum, aut si fecerit, liberos tamen non ingratos in illô nominaverit, ipsis ingratitudinem remisisse videtur, *Goth. ad auth. si captivi. C. de Episc. & Cler. in marg.* Si enim ipse, qui injuriam passus est, tacuerit, silentium ejus maneat semper, *l. ult. in f. C. de revoc. donat.* nec hereditas Ecclesiæ, sed

fiæ, sed filio deferenda. Quòd † si verò captivus *apud hostes* de- 5.
cesserit, & nullum fecerit testamentum, hereditas liberis ejus, imò
generaliter legitimis omnibus (si in redimendò captivò negligen-
tes fuerint) vel testamentariis etiam heredibus (si fortè ante ca-
ptivitatem testamentum fecerit, *Imper. hîc vers. hôc eôdem*) *si here-*
des se esse scriptos scientes de redemtione captivi nihil prorsus fue-
rint solliciti, aufertur quasi indignis, † & *Ecclesiæ* (non *fisco*, quòd 6.
hîc est speciale, *contra l. 2. § 1. l. 13. l. 14. ff. de his qv. ut indign. l. 32.*
§. ult. ff. de donat. int. vir. & ux. Gloss. hîc verb. debitis.) applicatur,
& quidem eâ conditione, ut quod ex hereditate hâc ad eam (*Ec-*
clesiam) devenerit, in redemtionem captivorum expendatur, (au-
rum enim Ecclesia habet non ut servet, sed ut eroget & subveniat
in necessitatibus, *c. 70. C. 12. q. 2.*) atque sic unde in captivitate
defuncti à suis non fuerint redemti, aliorum redemtio procure-
tur. Atque hæc *Imper.* hîc constituit. † Sed & consilium salu- 7 2
berrimum liberis tradit, quomodo possint ac debeant captivorum
parentum liberationem aut redemtionem procurare. Nimirum si
propriam pecuniam non habuerint, potestatem eis concedit, pro
redimendô captivô mutuò accipere pecuniam, & res mobiles vel
immobiles vendere vel pignori dare, sive propriæ illorum sint,
(quod hîc est speciale, *contra l. penult. C. de his qui ven. ætat. impetr.*
Gloss. hîc ad voc. supponendi) sive illius, qui in captivitate detinetur.
& in prædictis omnibus, etiamsi liberi minores 25. sint annis (ma-
jores tamen 18. *per auth. captivi. C. de episc. & Cler.*) contractus hu-
jusmodi, tanquam à personâ suæ potestatis & legitimæ ætatis fa-
ctos, ratos Imperator hîc habet, atque ita pietatis & redemtionis
captivorum causâ ætatem minorum supplet. † *Redemtio* enim 8.
captivorum favorabilis, adeò ut & rerum divinarum, vasorum, ve-
stimentorum Ecclesiæ consecratorum aut aliarum rerum ad divi-
num cultum necessariarũ venditio, pignoratio, vel alienatio severè
aliàs omni jure prohibita, *pro captivorum redemtione* indulgeatur,
Nov. 120. cap. 10. l. 21. in fin. C. de SS. Eccl. can. 13. can. 14. c. 15. c. 16.
c. 70. Caus. 12. q. 2. Antequam ad alium §. progrediamur, verbô
adhuc notandum putamus, quod hæc 13. Exheredationis causa, de
quâ hactenus egimus, Imperatori nostro ad generalem Legem pro-
mulgandam obtulerit occasionem, prout hoc ipse fatetur hîc vers.
Occasionem autem &c.

§. XX.

§. XX.

1. Hæretici unde ita dicti?
2. Hæreticorum descriptio Justinianea.
3. Nec Pater Pontificius filium Lutheranum exheredare potest, nec Pater Augustanus filium Pontificium.
4. Idque propter transactionem Passaviensem.
5. Et Pacem Religiosam.
6. Ac Instrumentum Pacis.
7. Nec tamen per dictas Constitutiones Religiosas huic Justinianæ Constitutioni (de hæreticis) derogatum fuit, contra Stephan.
8. Nec enim Lutherani sub hæreticis comprehendi possunt.
9. Et ea, quæ de Hæreticis Imperator hîc constituit, adhuc hodiè observantur.
10. Nec Pontificii nec Calviniani pro hæreticis haberi possunt.
11. Distigv. tamen inter Hæreticum theologicè & politicè consideratum.

Verba Imperat.

XIV. SI quis de prædictis parentibus orthodoxus constitutus senserit suum filium vel liberos non esse Catholicę fidei, nec in sacrosanctâ Ecclesiâ communicare, &c. licentiam habeant pro hâc maximè causâ ingratos eos & exheredes in suô scribere testamentô &c. Quod si fortè ex filiis alii quidem sunt orthodoxi, & Ecclesiæ Catholicæ communicantes, alii verò ab eâ separati, omnem parentum substantiam ad filios tantùm catholicos pervenire sancimus.

1. De Hæreticis Imperator hîc disponit. † *Hæretici* dicuntur ab *hæresi*: at *hæresis* non ab *adhæreo*, nec ab *errore*, ut quidam errant, sed à verbô Græcô αἱρέω, *eligo*, αἵρεσις igitur propriè *electio*. unde *hæretici*, quasi qui sectam eligunt, quam putant esse meliorem, *can.* 27. *C.* 24. *q.* 3. eamquè pertinaci animositate defendunt, *can.* 29. & *c.* 31. *C.* 24. *q.* 3. sive gratiâ lucri temporalis, sive vanæ gloriæ, odii, vindictæ. *Zæs. Comm. in V. Libr. Decret. tit. de hæreticis n.* 1. Qui latè, qui strictè & propriè dicantur hæretici, explicat *Petr. Heiden Conclus. Crim. cap.* 1. *concl.* 7. *litt. c. d.* † Iustinianus describit hîc
2. hæreticos, quòd sint: *qui non sunt Catholicæ fidei, nec in sacrosanctâ Ecclesiâ communicant, sed ab ejus communione separati sunt.* De quâ descripti-

descriptione quid sentiendum sit, vide apud *Rittersh. ad Nov. Just. part. 6. cap. 3. n. 14.* † Id solùm hîc observamus, valdè eos, *ut mol-* 3.
lissimè loquitur Sutholt Diss. 9. aphor. 56. judicium suum præcipitare, qui ex eô, quod Justinianus hîc de filiis hæreticis à parentibus orthodoxis exheredandis constituit, hodiè colligunt, quòd etiam pater *Pontificiæ confessionis* filium *Augustanæ*, & econtrà pater *Augustanæ* filium *Pontificiæ religionis* tanquam hæreticum exheredare possit. † Utriusquè siquidem Confessionis sectatores per *Transactionem Passaviensem* de annô 1552. promulgatam (*quæ est quasi unio* 4.
& confœderatio Lutheranorum cum Pontificiis) ita sibi invicem amicabiliter conjuncti sunt, ut neutri pro *hæreticis* haberi possint, teste *Magn. Dn. Carpzov. ad L. Regiam cap. 6 sect. 4. n. 2. & part. 3. J. R. S. constit. 14. defin. 10. n. 4.* Idque eò minus, cùm etiam † in *Pace* 5.
Religiosâ de annô 1555. publicatâ, & novissimè annô 1648. *in Instrument. Pac. Cæsareo-Suec. art. V. §. 1. & 12.* sanctè confirmatâ, utraq; Religio, tàm Pontificia quàm Lutherana in S. R. Imperiô sit permissa, ita ut ab unâ ad alteram liber sit transitus, absque bonorum, famæ & honoris jacturâ, §. und damit solcher Friede/in vers. Sondern bey solcher Religion/auch ihrer Haab/ Gütern/liegend und fahrend / Land/Leuten/ Herrligkeiten und Gerechtigkeiten / friedlich und geruhig bleiben lassen. † Et in d. novissimô Instrumentô Osnabrugensi 6.
art. V. §. liberæ. 11. in fin. utriusque religionis socii in verâ amicitiâ & Christianâ charitate, pacificè & comiter invicem cohabitare jubentur. Quæ autem esset religionis libertas, quæ concordia & Christiana charitas, si liberi ob eam à bonis & hereditatibus paternis excluderentur? *Add. Stephanus ad h. Nov. n. 18. in fin.* † qui 7.
tamen in eô videtur errare, quòd scribit, huic novellæ Justiniani constitutioni *quoad hanc causam* per dictam pragmaticam constitutionem Religiosam derogatum esse. Neque enim Justinianus hîc de Lutheranorum Religione, de quâ dicta Pax Religiosa disponit, loquitur aut loqui potuit, cùm ejus tempore Lutheranorum Religio prorsus fuerit ignorata, utpote multis seculis post ejus mortem demum introducta; Neque † etiam sub Hæreticis, de 8.
quibus loquitur Justinianus, (*loquitur enim de Judaico Nestorii furori deditis, & Acephalorum amplectentibus insaniam*) Lutherani comprehendi possunt, quippe qui in nullô adhuc sincerô & uni-

 versali

versali conciliô pro hæreticis declarati aut hæreseos convicti sunt,
9. ipsô fatente Stephanô *d. l.* † Et imò ea, quæ Justinianus hîc constituit, quòd scil. liberos hæreticos (propriè dictos intellige, sectam aliquam in universalibus conciliis damnatam amplectentes, de quibus *Imper.* h. loquitur) pater orthodoxus non instituere, sed exheredare debeat, *hodiè* non abrogata sunt, ut *Steph.* opinatur, sed adhuc strenuè servantur, prout testatur *Magnif. Dn. Carpz. d. part. 3. const. 14. def. 10. n. 1.* ibi: *Generaliter constitutum est, ne liberi hæretici ullô modô* (neque ex testamentô neque ab intestatô) *patri orthodoxo succedant, & si fortè non existant liberi Christiani, ut succedant agnati Christiani; & post hosce fiscus, l. 19. pr. C. de hæret. & manich. Add. Nov.* 118. *c. ult. Nov.* 144. *cap.* 1. ibi: *hæretici, quiq;*
10. *rectam Christianorum fidem &c. neq; ex testamenti tabulis, neq; absq; iis heredes fiant. Cuj. in Expos. Nov.* 18. *part.* 1. *in fin.* † Cæterùm id, quod diximus de Pontificiis & Lutheranis, quòd scil. neutra pars pro hæreticâ haberi possit, procedit etiam in *Calvinianis*, quos *Reformatos* vocant, quia & illi dictâ novissimâ Pacificatione Osnabrug. plenissimam in Imperiô securitatem & immunitatem adepti sunt. *V. Instrum. Pac. Cæs. Suec. art. VII. in princ. unanimi quoq; Cæsareæ majestatis* &c. Es ist auch von der Röm. Keys. Maj. ꝛc. Absurdum igitur erit, religionem istorum publicô Imperii decretô permissam habere pro hæreticâ aut prohibitâ, adeò ut qui illi adhæreat,
11. pœnâ aliquâ (*exheredationis*) adfici posset. † Non improbanda tamen distinctio *Stephani* videtur, qui *ad h. N.* 115. *n.* 18. *in fin.* distinguit inter hæreticum *theologicè & politicè* (ex constitutione Politicâ) consideratum; & dicit, posse aliquem verè hæreticum esse *quoad actus divinos*, sive articulos fidei, qui tamen *quoad actus civiles & politicos* non habeatur pro hæreticô.

§. XXI.

1. Iure veteri quid in probatione causæ Exhered. obtinuerit?
2. Ratio juris veteris.
3. Ius novum.
4. Ratio juris novi.
5. Plures causæ si expressæ, an omnes ab herede probandæ.
6. Quid obtineat, si nulla causa inserta, aliqua tamen probetur?
7. Quid si generaliter locutus fuerit testator: *ex cansis?*
8. Quid si pœnitentiâ egerit filius?
9. Distin-

9. Distinguitur.
10. Casus, quibus pœnitentia excusat.
11. Quid si injuria remissa sit?
12. Probatur, quòd Exheredatio tunc non valeat.
13. Rejicitur distinctio communis.
14. Rejicitur alia distinctio.
15. Quid si monasterium ingrediatur filius ingratus?

Verba Imper.

SIve igitur omnes memoratas ingratitudinis causas, sive certas ex his, sive unam quamlibet parentes in testamentô suô inseruerint, & scripti heredes nominatam vel nominatas causas, vel unam ex his veram esse monstraverint, testamentum suam habere firmitatem decernimus.

Jure † veteri liberi præteriti aut nullâ injuriâ adscriptâ exheredati, docere immerentes se (*l. 5. ff. de inoff. test.*) aut demonstrare debebant, quòd obsequium debitum jugiter, prout ipsius naturæ religio flagitabat, parentibus adhibuerint, *l. 28. C. de inoff. test.* Add. *Ant. Fab. de err. pragm. 14. err. 7. Dn. Andr. Gerh. Patruus meus, tract. de Testam. diff. 5. th. 16.* Ratio juris veteris † erat, quia præsumtio erat pro judiciô defuncti, *Gothofr. ad d.l. 28. C. de inoff. test.* quia lex non præsumebat, liberos parenti odio fuisse sine magnis & gravibus causis, quibus parens provocatus fuerit ad exheredationem. *Sichard. ad rubric. C. de liber. præter. n. 7.* An sanus quisquam pater, *inquit Senec. lib. 1. de Clem. c. 14.* filium ob primam offensam exheredat, nisi magnæ & multæ injuriæ patientiam vicerint. Cùm igitur non præsumebatur pater, filium sine gravi causâ exheredâsse, & hoc tùm propter ejus singularem affectum, *l. pen. §. 1. ff. de Rit. Nupt. l. 7. pr. C. de curat. fur. l. 8. §. fin. ff. quod met. causa.* tùm propter parentum commune votum, *l. pen. §. 2. in fin. ff. de bonis libert. l. 7. §. 1. in fin. ff. unde liber.* hinc opus habebant filii exheredati, ut se purgârent ab illâ ingratitudine (quæ ex exheredatione contra ipsos præsumebatur) nisi heres scriptus sponte onus probandi suscepisset, de quô casu est intelligenda *l. 22. & l. 30. vers. si tamen. C. de inoff. test.* Hodiè † autem secundum saluberrimas *Justiniani* Constitutiones liberis præteritis aut nullâ prorsus causâ adscriptâ exheredatis ipsô jure nullum est testamentum

1.
2.
3.

quoad institutionem. *V.* §. *seq.* si verò causam adscripserint, incumbit illius probatio scripto heredi, *h. c. 3. §. fin.* quod ante hanc Nov. 115. Justinianus dudum etiam constituit in *l.* 10. *C. de secund. nupt.* ibi in fin. *qui ingrati ab heredibus genitorum liquidis & indubitatis probationibus convicti fuerint.* 4. Ratio autem, † cur Imper. jura antiqua hâc in parte correxerit, & onus probandi à filiô ad hedem scriptum traduxerit, non videtur alia esse, quàm quòd videret, filium in probando, se semper vixisse in officiô pietatis, sæpiùs succumbere, atque ita causâ simul & hereditate eum excidere. *V. Stoholt. Diss. 9. th 65.* Quæsivit ergò huic rei remedium, & causæ veritatem probandam injunxit heredi, cùm non præsumatur filius erga genitorem suum ingratus, *Menoch. 4 præsumt. 29. n. 23.* nisi convincatur, ut loquitur *l. 22. C. de inoff. testam* aut ingratus legitimis modis arguatur, *l. 30. C. côd.* Prævalet igitur præsumtio pro filiô. nullum enim delictum præsumitur, sed necesse est, ut legitimè probetur. Omnis autem injuria exheredatione digna est delictum quoddam. E. *quemadmodum colligit Ritterh. ad Nov. part. 6. c. 3.* 5. *n. 24.* Plures † tamen causæ ubi testamento insertæ fuerint, unam ex his ab herede probari sufficit. Ait enim Imperator hîc: **nominatas causas vel unam ex his veram esse monstraverint.** *Bl. consil. 112. n. 2. vol. 5. Add. Sichard. ad auth. non licet. C.* 6. *de liber. præter. n. 32.* Quid † autem obtinebit, *si nulla causa tabulis inserta, aliqua tamen ab herede probetur?* Nihil officiet exheredato. Nec audiendus heres, si aliam ingratitudinis speciem probare velit, quàm quæ in testamentô expressa; *Ant. Faber in Rational. ad l. 3. ff. de inoff. testam. lit. a.* Dicit enim Imper. hic: *nominatam vel nominatas causas*, **vel unam ex his** *veram esse monstraverint.* Adstringitur igitur heres, probare causam nominatam, aut *nominatim insertam* in testamentô parentum. Utrumque enim requiritur simul, *expressio causæ & ejus ipsius probatio*, ut testamentum subsistat. *Covarruv. de Testam. cap. 16. n. 8.* Ideoque quam injuriam testator tacuit, remisisse præsumitur, *arg. l. fin. §. fin. C. de revoc. don. l. 30. vers. nam si. C. de inoff. testam.* vel non reputâsse pro injuriâ, *arg. l. 15. §. 26. ff. de injur. Simon de Prætis Lib. 3. de interpr. Ultim. Volunt. interpr. 1. Dub. 6. fol. 3. n. 7.* Diss. Jason *ad l. 6. C. de transact. n. 17.* per *l. 3. §. fin. ff. de adimend. vel transf. leg.* ubi

propter

propter inimicitiam supervenientem *tacitâ* testatoris *voluntate* legatum ademtum censetur. Resp. Legata nudâ voluntate & sine causâ adimi possunt, *d. §. fin. pr.* quia à voluntate testatoris dependent, at hereditas sine ingratitudinis causâ in testamentô *expressâ* liberis adimi non potest, *h. c. 3. pr.* quia ab ipsâ lege defertur. *Add. Fachin. lib. 6. controv. c. 76.* Sed transimus ad alium magis dubitabilem casum. † quid obtineat, si in testamentô ultra nomina- 7.
tam ingratitudinis causam (per heredem non probatam) adjecerit testator: *vel aliis pluribus*; vel nullis expressis causis generaliter dixerit: *ex causis, ex quibus de jure meretur exheredari & probandis per heredem*: si quidem per heredem probetur aliqua causa legitima, an pro exheredatione sufficiat & validum reddatur testamentum? Et sicut institutio valet relativè ad expressionem in Codicillis, *l. 77. ff. de hered. instit.* ita valere etiam videtur exheredatio facta relativè ad causas legitimas probandas per heredem, cùm eadem contrariorum disciplina sit. Sed id efficere non potest, ut expressionem causarum ingratitudinis *per verba generalia* probemus. *V. Simon de Prætis Lib. 3. de interpr. Ultim. Volunt. Interpr. 1. Dub. 6. fol. 3. n. 9.* cùm causæ nominatim sint inserendæ in testamentô, & hæc expressio nominata est de formâ actûs inductâ à Lege sic disponente; Non sufficit igitur *generalis* ejusmodi expressio causarum (ita enim heres, quas voluerit, opponere posset ad commodum suum & deceptionem filii circa substantias parentis) sed *specialis* nominatio ingratitudinis requiritur; quod enim nominatim & specialiter exprimendum, non sufficit exprimi verbis generalibus, cujusmodi enuntiatio est obscura, ambigua, & incerta, causa autem exheredationis debet esse certa & aperta, eaque & non alia ab herede debet probari. Sed num etiam *locus & tempus injuriæ illatæ* heredi probandum erit? Affirmandum hoc. diximus enim supra, hæc in testamentô adscribi non esse necesse, ubi scil. & quando fuerit injuria commissa; debent igitur ab herede hæc probari; *Bald. consil. 89. n. 1. Simon de Prætis Lib. 3. de Interpr. Ultim. Volunt. Int. 1. Dub. 9. fol. 3. n. 2.* Debet etiam filius exheredatus citari & coram eô testes examinari. Si autem heres deficiat in probatione causæ injuriosæ, exheredatio non sortietur effectum, & testamentum *querelabitur*, ut loquitur *Angelus de Gambellionibus*

Tract. de Testam. gloss. 74. n. 5. Similiter judicandum est de exheredatione factâ *ex errore aut falsâ persuasione.* Ut quando aliquis secŋ suspiciens de suâ uxore, quòd filium aliquem pepererit ex adulteriô, faciendo testamentum talem filium natum ex suâ uxore exheredat, vel instituit in re minimâ, quòd de suis bonis aliud non possit habere, cùm non sit suus filius. Illô impedimentô per heredem non probatô (quòd scil. iste sit filius adulterinus) præsumitur, testatoris esse filium, & per querelam ista exheredatio (quia fundata apparet in causâ erroneâ) rescinditur, ac isti filio per errorem exheredato aut in re minimâ instituto perinde ac cæteris liberis virilis portio tribuitur, *arg. l. 3. C. de inoff. testam. Simon. de*
8. *Prætis d. sol. 3. n. 3.* Sed pergendum ad alium casum. † Si nimirùm *post commissam injuriam pœnitentiam egerit filius, vel ante vel post testamentum conditum, patre vivô, num causa exheredationis, ab herede licet probata, extinguatur, quæritur?* Vix simpliciter hoc erit asserendum: (1.) quia pœnitentia *in delictis consummatis* à pœnâ non liberat, *l. 65. ff. de furt.* Gœdd. *ad L. 225. ff. de Verb. Signif. n. 10.* ubi id multis legibus & rationibus explicat. (2.) Et parens præsumitur in eôdem odiô durâsse, nec mutâsse animum exheredationis, *Perez ad tit. C. de lib. præt. n. 20. Wesenb. consil. 29. n. 33.* †
9. In casibus tamen in legibus expressis pœnitentiam delictum sublevare, cum Gothofr. *ad d. l. 65. ff. de furt.* dicendum est. Ita etiam in exheredatione pœnitentiam admittimus, *si leges illam admittant expressè.*
10. † Quomodo in causâ exhered. XIVtâ (*hæreseos*) pœnitentia filio prodest, *b. n. cap. §. 14. vers. si verò ad eam conversi fuerint, & vers. si autem usq; ad finem vitæ suæ permanserint.* Baccov. *Vol. 1. ad Treutl. disp. 13. th. 9. lit. D. in fin.* Add. *l. 4. §. 6. C. de Hæret. & Manich.* ibi: *delicti veniam pœnitentibus damus.* Non obstat *l. 3. vers. sed nec. C. de apostat.* ibi: *nec flagitium horum obliterabitur pœnitentiâ.* Resp. in apostatis est exceptio, *ut patet ex ipsâ d. l. 3. & Gothofr. quoq; in marg. observat.* Similiter in causâ Xmâ expressè additur verbum *permanserit. Opponis:* quòd pœnitentia tantùm in forô animæ operetur delicti remissionem, non autem exterioris judicii pœnam. *Covarr. in prælim. ad cap. Raimutius. X. de Testam. n. 18.* & *dist. cum Simone de Prætis Lib. 3. de interpret. Ultim. Volunt. interpr. 1. Dub. 6. solut. 4. n. 12.* inter ingratitudinem, *quæ tangit personam, famam vel bona parentis,*

rentis, v.g. injectio manuum, insidiæ vitæ parentum structæ, accusatio eorundem, delatio &c. & hanc ingratitudinem ejusque pœnã (exheredationẽ) pœnitentia non tollit, per suprà tradita; & inter ingratitudinem, *quæ provenit ex turpitudine ipsius ingrati*, v. g. vita arenaria, hæresis &c. & hanc ejusque pœnam pœnitentia in vitâ testatoris facta abolet & removet, uti Imper. hic expressè constituit. Deinde Respondemus *cum Didac. Covarr. ad cap. Raynutius. 16. X. de Testam. in princip. n. 18.* quòd etiamsi pater pœnitentiâ filii motus delictum ejusque pœnam illi remiserit, ipsumque non exheredaverit, illud tamen minimè impediat, quin civilis judex possit filium aliâ pœnâ afficere, si delictum ejus tàm atrox sit, ut nõ possit sine scandalô impunitum transire. Hinc quærimus † amplius: *Si expressa injuriæ remissio aut reconciliatio seria intervenerit, an injuria talis testamentô expressa effectum exheredationis habeat?* Negamus, licet ea ab herede probetur; nec tamẽ dicimus testamẽtum *ipsô jure* nullum, si filius probet ipsi à patre injuriam remissam esse, sed tolli tantùm *effectum exheredationis*, & filium querelâ agentem, si injuria in testamentô expressa ipsi ab herede objiciatur, *ope replicationis*, quòd injuria ipsi remissa sit, intentionem heredis elidere posse asserimus. Ratio † (1.) injuria enim remissa pro non commissâ habetur, & efficaciter vindicari nequit, *§. fin. Inst. de injur. l. ii. §. 1. ff. eôd.* Cessante autem exheredationis causâ inductivâ, quæ in injuriâ parenti illatâ cõstabat, & ipsam exheredationẽ cessare necesse est. *Bartol. in l. 4. de adimend. legat.* Paria enim sunt, non adesse causas exheredationis, vel esse extinctas per reconciliationem. *Simon de Pratis Lib. 3. de interpret. Ultim. Volunt. interpr. 1. Dub. 6. fol. 4. n. 15. in fin.* (2) Si legatum injuriis intervenientibus postmodum remissis debetur legatariis, *l. 4. ff. de adiment.* vel *transf. legat.* quantò magis debebitur hereditas liberis, si injuriam parens eis remiserit? cùm facilius liberis parentes quid condonent, quàm legatariis, ut plurimùm extraneis, & tali vinculô amoris iis non conjunctis. *Arum. Exerc. 10. ad Inst. th. 5.* † Nec distinguimus inter injuriæ *remissionem expressam* & *reconciliationẽ*. Baccov. *Vol. 1. ad Treutl. Disp. 13. th. 9. lit. C.* Lud. Molina *Tom. 1. de Just. & Jur. disp. 176. n. 54.* si enim offensam clementia flexit, licet scripturâ non probetur, aliis tamen rationibus doceri nihil impedit,

11.

12.

13.

dit, præsertim cùm posteriora eorum talia merita deprehendantur, ut ira parentis potuerit mitigari, sunt verba *l. 5. C. fam. ercisc.* Dissentit *Jason ad l. 23. ff. de lib. & posth. n. 7.* qui putat, exheredatione solenniter factâ reconciliationem nihil operari, nisi etiam solenniter testibus 7. confirmata sit, quia quælibet res eôdem modô dissolvitur, quô fuit ligata *l. 35. ff. de R. J.* Sed Resp. cùm hîc negotium sit inter patrem & liberos, non ita rigorosè solennitates erunt necessariæ. Et si per simplicem reconciliationem tollitur causa exheredationis, np. injuria, etiamsi nullæ solennitates adhibitæ, cessare etiam debet exheredationis effectus, *arg. cap. 60. X. de Appellat.* Pulcrè *Quintil.* declam. 322. *nunquam hi affectus* (paterni) *in tantum vincuntur odiô, ut non ad naturam suam tamen revertantur.* Sed graviùs obstat *d. l. 23. ff. de lib. & posth.* ubi filio emancipato, licet cum patre tacitè per arrogationem reconciliato, exheredatio nihilominus *nocere* dicitur. *Respondet* optimè ad hanc l. *Ludov. Molina d. disp. 176. n. 56.* quòd cùm legitimum testamentum, in quô filius insertâ causâ fuit à patre exheredatus & causa ab herede probata est, non ipsô jure nullum censeatur, licet injuria tacitè vel expressè filio à patre remissa sit, uti hoc suprà etiam diximus; hinc Papinianus in *d. l. 23.* dixerit, exheredationem *nocere filio exheredato.* Nihilominus, cùm per arrogationem aut quamvis aliam tacitam vel expressam remissionem causa exheredationis abo leatur, neque ulterius subsistat, sanè tali filio competit *non quidem jus dicendi testamentum illud nullum* (quoniam *quoad hoc* exheredatio adhuc ipsi nocet, *d. l. 23.*) *sed querela inofficiosi.* Si igitur heres scriptus filio *objiciat* insertam causam legitimam & probatam, *replicabit* ille, causam remissam esse, proindeque rescindendum esse testamentum tanquam sibi nunc inofficiosum. Nec † etiam di-
14. stinguimus cum Dd. communiter, an remissio vel reconciliatio *præcesserit* exheredationem (quô casu omnes ferè concedunt, exheredationem locum non habere) an *subsecuta fuerit*, quia tunc eò minus exheredatio effectum habebit, cùm novissimam testatoris voluntatem (utpote ambulatoriam usque ad vitæ exitum *l. 4. ff. de adimend. vel transf. leg. l. 32. §. 3. ff. de donat. inter vir. & uxor.*) sequi debeamus, *l. 5. C. fam. ercisc.* novissimam autem suam voluntatem post exheredationem testator *injuriæ remissione* declaravit, &

hâc

hâc ipsâ ipse exheredationem anteà in irâ factam quasi annullavit, quia sublatâ causâ sustulit etiam effectum. *Diss. Perez ad tit. C de liber. præter. n. 20.* † Addit *Gratianus* ex Novellâ quâdam Constitutione aliud exheredationis contrarium, nim. *monasterii ingressum.* Nõ licet, *inquit*, parẽtibus liberos abhereditate repellere monachos factos, quamvis dum laici fuerant, in causam ingratitudinis inciderint, *can. ult. Caus. 19. q. 3.* cùm Monachalis vita omnem humanam detergat maculam, *Nov. 5. in præfat.* Add. *Roland. in Tract. de Testam. Rub. 13. n. 7. Did. Covarruv. in prælim. ad cap. Raimutius. X. de Testam. n. 20.* qui ibi latè Gratianum defendit. 15.

§. XXII.

1. Testamentum quando annulletur, quando rescindatur?
2. Annullatur & rescinditur hodie tantùm quoad institutionem heredis.
3. Jus antiquum.
4. Ratio juris novi.
5. Elector Saxoniæ Justiniani dispositionem sequitur.
6. Argumenta contraria, quòd sc. testamentum etiam quoad legata & alia capitula annulletur & rescindatur, annullantur & rescindũtur.
7. Regula Juris, quòd nemo pro parte testatus, pro parte intestatus decedere possit, explicatur.

Verba Just. Imper.

SI autem hæc observata non fuerint, nullum exheredatis liberis præjudicium generari: sed quantum ad institutionem heredum pertinet, testamentô evacuatô, ad parentum hereditatem liberos tanquam ab intestatô ex æquâ parte pervenire, ne liberi falsis accusationibus condemnentur, vel aliquam circumscriptionem in parentum substantiis patiantur. Si verò contigerit, in quibusdam talibus testamentis quædam legata vel fideicommissa aut libertates, aut tutorum dationes relinqui, vel quælibet alia capitula concessa legibus nominari: ea omnia jubemus adimpleri, & dari illis, quibus fuerint derelicta, & tanquam in hôc non rescissum obtineat testamentum.

Si hæc † observata non fuerint, *ait Imperator*, h. e. si liberi 1.
vel non nominatim nec ullâ adscriptâ causâ fuerint præteriti aut

exheredati, *ipsô jure nullum* est testamentum; (*Diff. Perez. ad tit. C. de liber. præt. n. 15.* propter verb. *evacuatô.* & c. seq. §. 9. verb. *rescissô.* item *Covarr. in prælim. ad cap. Rainutius. X. de Testam. n. 6.* Resp. *rescissô* ait, i. e. *ipsô jure rescissô*, tot. tit. ff. quæ sent. sine appell. rescind. *vel per sententiam testamentum nullum declarantem rescissô*, *l. 8. §. 16. ff. de inoff. testam. Add. Nobiliss. Dn. Struv. Exerc. 10. Jurispr. th. 15.*) Vel si liberi quidem nominatim & causâ adscriptâ sint exheredati aut præteriti, non tamen justâ & legitimâ, sed iniquâ aut ab herede non probatâ, per querelam rescinditur testamentum, hôc colore, quasi testator, cùm testamentum tàm iniquè contra pietatem & naturalem affectionem conderet, non fuerit sanæ mentis, *pr. Inst. de inoff. test. verb. iniquè*, *l. 2. ff. eôd.* ibi: *rectè quidem* (i. e. nominatim & causâ adscriptâ) *fecit testamentum, sed non ex officiô pietatis.* Unde istas tabulas, in quibus liberi à successione iniquè re-
2. moventur, *plenas furoris* appellat Val. Max. *lib. 7. cap. 8. n. 2.* † Utrôq; tamen casu irritum fit testamentum tantùm *quoad institutionem heredis*, legata enim, fideicommissa, libertates, tutorũ dationes & alia quælibet capitula Imperator jubet adimpleri, & iis, quibus illa fuerint derelicta, dari, *h. verf. fin.* Correxit itaque & hic quoq; jus an-
3. tiquum, † quô annullatô aut rescissô per querelam testamentô, nec legata, nec fideicommissa, nec aliud quid deberi aut peti poterat, quod patet ex *l. 8. §. pen. ff. de inoff. test. l. 13. in fin. ff. eôd. l. 28. ff. eôd. l. 17. ff. de injust. rupt. l. 36. ff. de leg. 3 §. 1. Inst. de exher. lib. l. 1. in fin. C. de posth. hered.* Non obstat *l. 1. & tot. tit. ff. de legat. præst. contra tabb.* Ratio
4. † autem, cur Imperator hæc jura correxerit, videtur esse, quòd solùm ejus intentio fuerit, à liberis injuriam præteritionis aut exheredationis auferre, ut ipse loquitur *in nostr. Nov. 115. cap. 3. in pr. verf. sola enim.* Atqui fit injuria filio præterito vel exheredato saltem quoad institutionem. *Arum. Exerc. 10. ad Inst. th. 2.* Nec enim quoad relicta legata injuriâ aliquâ se affici filius conqueri potest, quia legata & fideicommissa singularia relinquere potuisset parens, licet ipsum filium scripserit heredem. E. meritò in eâ saltem parte, in quâ est peccatum, testamentum vires suas a-
5. mittit. Quod † & placuit Serenissimo Saxoniæ Electori *part. 3. Const. 9. verf.* Und doch nichts destoweniger die Legata denen / welchen sie vermacht seyn / folgen und gegeben werden sollen. *Add. Dn. Carpzov.*

Carpzov. part. 3. const. 9. defin. 3. ubi hanc receptam Dd. sententiam *tribus Responsis Scabin. Lipsiens.* confirmat. Haud desunt tamen, qui correctionem hanc Justinianeam impugnare † audent: (1.) quòd 6.
testamenta vires suas ex institutione heredis tq. à capite & fundamentô accipiant, §. *34. Inst. de Legat.* Deficiente igitur illô fundamentô, nihil in testamentô scriptum valebit. *Rittershus. ad tit. Inst. de inoff. testam. in fin.* Resp. distinguendo inter heredis institutionem *planè & absolutè* deficientem, & institutionem *tantùm secundum quid* deficientem & certô respectu nullam. In tali testamentô, in quô filius est præteritus, vel sine insertâ justâ causâ exheredatus, vera est heredis institutio, & *absolutè consideratô testamentô* tali testamento nihil deest, sed *secundum quid tantùm* laborat vitiô, quòd *filius* scil. non sit institutus, nec etiam legitimè exheredatus. Vitium igitur est in institutione tantùm eatenus, quatenus filius excluſus, adeoque etiam testamentum *quoad illam institutionem* tantùm est nullum. *Nobiliß. Dn. Struv. in Lect. privat.* Opp. (2.) quòd nemo pro parte testatus, pro parte intestatus decedere possit, *l. 7. ff. de R. J.* quod hôc casu accideret. Respondet *Ritterh. d. l.* quòd Constitutiones Imperatorum, præsertim posterio- 7.
rum, sæpè vim inferant regulis juris antiquis. † Accuratiùs respondetur à *Nobiliß. Dn. Struv. d. l.* regulam illam veram esse, quòd nimirùm *ex voluntate disponentis* id nõ possit fieri, *ex accidenti* autem fieri possit, quod patet ex *l. 15. §. 2. in fin. ff. de inoff. test. l. 24. eôd.* Simili ferè modô respondet Arumæus *Exerc. 19. ad Inst. th. 2.* Regulæ nimirùm isti locum esse, cùm *ab initiô* pro parte testatus, pro parte intestatus quis decedit; In nostro autem casu ab initiô de omnibus suis bonis quis testatus est. Sed *ex pòst factô*, annullatô vel rescissô testamentô, pro parte testatus videtur, *sc. quoad legata, aut alia capitula*; & pro parte intestatus, *scil. quoad institutionem.* Nec enim absurdum dicitur, *pro parte intestatum videri*, inquit Papin. *d. l.* 15. §. 2. *in fin.* ubi Gothofr. in marg. etiam hanc limitationem *sc. ex post factô* addit. Sic etiam *D. Hadrianus* decrevit (cujus decretum refert Paulus in *l. 28. ff. de inoff. testam.*) & testamentum, in quô mater filium suum, quem falsô rumore acceperat decessisse, præterierat, aliis institutis heredibus, filiô posteà domum reversô etiam *tantùm quoad institutionem* rescindi jussit, ita ut legata & libertates eô relictæ præstentur. *Quod decretum* tamen *Paulus*, utpote

pote veteris sapientiæ custos, *non ibi approbat.* Opp. (3.) *l.* 1. *C. de inoff. testam.* ubi dicitur, quòd ruptô per querelam testamentô filius habeat petitionem hereditatis contra fideicommissarium. Resp. Loquitur textus de fideicommissô universali, nos de particularibus fideicommissis. Vel dicimus cum *Sichardo ad istam l.* 1. quòd iste filius, cùm contra fideicommissarium agat ad consequendam hereditatem, agere censeatur ad consequendam suam legitimam, relictis cæteris rebus fideicommissario, perinde ac si ipse filius rogatus esset, isti fideicommissario eas restituere. *Add. Nobiliß. Dn. Schröteri, Promotoris atq; Præceptoris mei vehementer observandi, Coll. priv. super. C. ad d. l.* 1. *C. de inoff. test.* Opp. (4.) Quòd legata si debeantur, aut peti possint ex testamentô, aut ab intestatô. Sed *neq; ex testamentô* peti possunt, quia illud irritum redditum; *neq; ab intestatô*, quia testamentô relicta sunt. E. Resp. peti ex testamentô. Id enim expressè cautum est in *n. c. 3. in fin.* Nam licet testamentum quoad institutionem irritum sit, non tamen in totum irritum est. *Sed instas:* Expugnatô principali accessoria expugnantur, *l.* 129. *ff. de Reg. jur. l.* 178. *eôd.* E. expugnatâ heredis institutione, ut principali, etiam accessoria (sc. legata, fideicommissa) expugnantur. *Perez ad tit. C. de lib. præter. n.* 15. *inf.* Resp. (1.) Hoc ita procedit secundum jus vetus, quod isti rationi innitebatur; sed Imperatori ob graves rationes *pr. h.* §. dictas aliud placuit. (2.) Fideicommissa non semper sunt accessoria institutionis, quia ea etiam sine testamentô & ab intestatô solâ ultimâ voluntate relinqui possunt, §. 10. *Inst. de fideicommiß. hered.* E. etiam legata. quia quicquid hodiè fideicommittitur, hoc etiam legatum esse intelligitur, per *l.* 2. *C. commun. de legat. & fideic.* quoad effectum intellige, non quoad naturam & formam. Atque hæc de utilissimâ exheredationis materiâ pro temporis & instituti ratione proposuisse sufficiat. Faxit benignissimus DEUS, ut omnes regni cœlestis instituamur heredes.

D. S. G.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747847053/phys_0092
DFG

nciationes, licet ſignum *conditionis* ha-
n ſtatim ſunt *conditiones*, ſiquidem illa in
ationis eſt pura, hæc verò in diem
ff. de cond. & demonſtr. l. 17. l. 28. de
Inſt. de V. O. l. 9. § 1. de novat. Dn.
J. C. Exerc. 47. th. 17. Et notanter
ctu; quippe alia planè ratio obtinet
ıtatibus, quoad poſterius exemplum.
ıs heres ita inſtituatur: *Titius heres eſto,*
ietur, omnino facit conditionem, quia he-
Sempronium mori poteſt. Et hoc
n tale legatum: *heres meus, cum mo-*
dato, defenditur, quoniam legatarius
edem diſcedere poteſt, diſceſſo verò
edem ejus legatum non tranſit, quia
ivo eo, quamvis certum fuerit mori-
f. de condit. & dem. l. 4. pr. qn. dies leg.
n ſtipulatione. Etſi enim ante pro-
or deceſsit, heredi tamen ejus debe-
erb. oblig. Nam & ſpes conditionalis
eredem transmittitur, & quilibet non
d etiam heredibus contrahit. Nihil
) an mortuo ſtipulatore exitum ha-
nitium namque, quo facta eſt ſtipu-
, legati verò non, ſed ſolùm dies ejus
itur. Sin verò heredi inſtituto ad-
s cum morietur, heres eſto, non condi-
ſi legatario adjicitur *l. 4. §. 1. ff. qn. le-*
neus 79. pr. ff. de cond. & dem. quia,
orieris, vivens mori intelligaris, &
ſit, te vivo, diem legati exiſtere. Mo-

men-